

Józef Nowacki

De archiepiscopi Gnesnensis dignitate ac praerogativa primatiali

Collectanea Theologica 18/3-4, 616-700

1937

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](#), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

DE ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS DIGNITATE AC PRAEROGATIVA PRIMATIALI.

Restituta denuo, post lucuberrima diutinae nefandaeque captivitatis fata, libera atque independenti Republica Poloniae res de primatiali titulo et praerogativa antiquissimae sedis metropolitanae Gnesnensis vivaे cuiusdam actualitatis specimen nacta est. Acquidem duea hic imprimis apprehensae sunt quaestiones, altera prorsus scientifica de eiusdem praerogativae origine, altera argumenti potius actualis de eius statu et valore post concessionem tituli primatialis „Regni Poloniae“, in congressu Viennensi a. 1814/15 constituti, a papa Pio VII anno 1818 ecclesiae Varsaviensi factam.

Illam adhuc saeviente bello anno 1915 b. m. prof. *Henricus Likowski*¹⁾ doctissimo tractatu dilucidare conatus est, cui tamen primordia tituli primatialis Gnesnensis ex concessione regia deducenti minime assensus est prof. *Wladislaus Abram*²⁾ gravissimis argumentis omnino fidedignam comprobando antiquam illam, concordem constantemque traditionem, iam a clarissimo „Historiae Polonicae“ auctore Joanne Długosz († 1480) perhibitam, qua Nicolaus Trąba, archiepiscopus Gnesnensis (1412—1432), a concilio Constantiensi, ut primas declararetur, obtinuisse fertur. Quam praerogativam a papa Leone X anno 1515 solemnii privilegio, superaddito titulo atque auctoritate legati nati, atque a papa Benedicto XIV a. 1749, ratione eiusdem pri-

¹⁾ Powstanie godności prymasowskiej arcybiskupów gnieźnieńskich, *Przegląd Historyczny* t. 19 (1915), p. 21—44, 154—190, 249—274. — Cf. ibid. priorum auctorum tractatus.

²⁾ Recensio tractatus dni H. Likowski: *Kwartalnik Historyczny* a. 35 (1920), p. 120—126.

matus usum vestimenti purpurei ac etiam vexilli crucis primatialis indulgente, confirmatam esse inter omnes constat.

De primordiis praerogativae et tituli eiusdem primatialis in prima parte tractatus huius rationem habuimus, in altero vero de primatis auctoritate et iurisdictione successu temporum obtenta atque exercita quaedam proferenda censuimus.

Altera vero quaestio praelibata circiter duodecim abhinc annis data occasione pacti inter Sedem Apostolicam et Rempublicam Poloniae concordati a. 1925 emanatique e Curia Romana eodem anno decreti archiepiscopo Gnensensi titulum „Primatis Poloniae“, Varsaviensi „Primatis Regni Poloniae“ approbantis³⁾, diutius in foliis publicis „de duobus primatibus“ hinc inde vertebatur⁴⁾. Cui rei etiam novissime Wladislaus Kwiatkowski operam navavit demonstrare enitendo ipsum titulum antiquum atque historicum „Primatis Regni Poloniae“ (omissis verbis: „Magnique Ducatus Lithuaniae“), post secundam istius regni dispertitionem anno 1793 a comitiis Grodnensibus sedi Gnesnensi „denegatum“, pro futuris antistitibus erigendae sedis Varsaviensis destinatum ac post vicissitudines temporum tandem anno 1818 in archiepiscopos noviter erectae sedis metropolitanae Varsaviensis a Sede Apostolica esse „translatum“⁵⁾.

Quam opinionem nullo prorsus fulciri fundamento, ceterum iam decisa eadem quaestione memorato decreto Sedis Apostolicae anni 1925, tractatu quoque historico demonstrandum, tum de sedis Gnesnensis praerogativae suae primatialis etiam decursu saeculi praeteriti possessione uberior exponendum existimavimus.

³⁾ Cf. Warszawianka 1925 5. III.

⁴⁾ Cf. i. a. Abraham, Połączenie arcybiskupstw gnieźnieńskiego i warszawskiego, Kurjer Warszawski 1924 27. VI; idem, W sprawie prymasa, Kurjer Poznański 1925 10. IV; F[ranciscus] B[łotnicki], O tytuł prymasa, Gazeta Kościelna, Leopoli 1925 nr. 7; A[dam] G[erstman], Władza prymasa w nowem prawie kościelnem, ib. nr. 8; Wolski J. K. (Henricus Likowski?), Dookoła zagadnienia prymasostwa polskiego, Kurjer Poznański 1925 nr. 67; idem, Jeszcze o prymasostwie Polski, ib. nr. 74, 80; Krotowski K., Kto jest prymasem w Polsce, Wielkopolsanin 1925 12. III.—Przegląd Katolicki, Varsaviae 1925 22. III.

⁵⁾ Kwestja prymasostwa polskiego pod koniec XVIII wieku, Varsaviae 1935, p. 34; idem, Archiwum Archidiecezjalne Warszawskie, Wiadomości Archidiecezjalne Warszawskie a. 26 (1936), p. 292 sq.

I.

De primordiis praerogativa et tituli primatialis ecclesiae Gnesnensis.

Capitulum cathedrale Gnesnense, ad requisitionem gubernii Borussici litteris suis de d. 15. I. 1795 inter alia etiam primatus istius sedis privilegia producendo et probando, hanc praerogativam eidem iam in primaeva ecclesiae Polonicae constitutione a Sede Apostolica concessam ad normam iuris canonici, id quidem exigentis, ut si quae gens ad fidem converteretur, propter multitudinem eius necessario primas ei constitueretur⁶⁾, a Concilio autem Constantiensi confirmatam esse ostendit⁷⁾. Quae traditio de duobus olim archiepiscopatibus Poloniae saec. XI⁸⁾ ac de primaevō primatu sedis Gnesnensis etiam a Joanne Długosz saec. XV perlibita⁹⁾ solido inniti videtur fundamento (cf. adhuc a. 1808 in erectione metropolis Baltimore, primae istarum partium: „caput aliarum sedium totius Americae Foederatae“ — 1858 ius praecedentiae concessum). Quare si quando aliae sedes metropolitanae infra terminos Regni Poloniae erant constituendae, certe Gnesnensi tamquam ecclesiae matrici totius Poloniae primae sedis praerogativa necessario erat concedenda. Quae res, si praetermittamus archiepiscopatum alterum saeculi XI, primum actualis momenti facta est, ubi infra Regnum Poloniae nova sedes metropolitana Halicensis circa annum 1367 (erecta 1374) pro terris Russiae fundata est. Archiepiscopo Gnesnensi hucusque iure metropolico inter episcopos ac ex recepta primaeva consuetudine etiam inter principes et barones Regni primum locum obtinenti duas praecipue praerogativas, ne a sede sua in rem alterius metropolitani avellerentur, tuendum fuit, ius scilicet praecedentiae et ius coronandi reges Poloniae.

Quod praecedentiam attinet, nulla eius rei ambiguitas oriri potuit, ubi inter antistites Poloniae ab antiquo in synodis

⁶⁾ C. 2. D. XCIX.

⁷⁾ Archivum Capituli Gnesnensis, Acta et decreta XXVII fol. 112 sqq.

⁸⁾ Abraham, Organizacja Kościoła w Polsce do połowy XII w., ed. 2, Leopoli 1893, p. 83; Łaguna St., Pierwsze wieki Kościoła polskiego, Pisma, Varsaviae 1915, p. 269; Abraham, Gniezno i Magdeburg, Kraków 1921, p. 21.

⁹⁾ Hist. Pol. t. 1, p. 117 sq. — Cf. Likowski, Powstanie godności prymasowskiej l. c. 27 sq.

provincialibus ordo sedendi secundum prioritatem resp. maiortatem ecclesiarum receptus fuit, qui etiam in ultimis synodis generalibus regni nostri saec. XVII servabatur. Post multas enim altercationes saeculi XII et XIII tandem episcopi Cracovienses a papa Alexandro IV a. 1256 adiudicationem et confirmationem iuris praecedentiae suaे p̄ae Vratislaviensibus episcopis¹⁰⁾, similiter in synodo provinciali tempore primatis Vincentii Kot (1436—1448) Posnaniensis p̄ae Plocensi antistite obtinuerunt¹¹⁾. Quare consentaneum erat idem principium praecedentiae etiam ad utrumque metropolitanum referre; re ipsa autem eandem praerogativam archiepiscopi Gnesnenses, prout testantur diplomata, p̄ae antistitibus sedis Haliciensis (a. 1414 Leopolim translatae) obtinuerunt.

Haud minoris momenti erat *iūs coronandi reges et reginas Poloniae*. Quae praerogativa proprie iuris ecclesiastici, gravissimae erat vis atque potestatis etiam in rebus publicis totius Regni, ita ut et sortes coronae et regni nonnunquam summopere ab arbitrio metropolitani Gnesnensis penderent, quod manifesto patet iam exemplo archiepiscopi Bodzantae tempore infausti interregni belisque intestini annorum 1382—1384 post obitum Ludovici, Poloniae et Hungariae regis¹²⁾. Fruebantur autem omnino pacifice iure isto, si respiciamus hic statum rei usque ad Consilium Constantiense, tum saeculo XI, tum a tempore restituti regni a. 1295 archiepiscopi Gnesnenses, quorum Jacobus II Świnka (1282—1314) praecipuus regni ipsius restaurator exstitit. Similiter fuerunt in possessione eius actuali etiam a tempore erectionis metropolis Haliciensis s. Leopoliensis coronando in ecclesia Cracoviensi reges Ludovicum a. 1370¹³⁾, deinde a. 1384 filiam eius Hedvigim¹⁴⁾, tum consortem eius Vladislauin Jagielonem a. 1386¹⁵⁾ et Annam reginam a. 1402¹⁶⁾. Recepta erat

¹⁰⁾ Nowacki J., Arcybiskup gnieźnieński Janusz i nieznany synod prowincjonalny r. 1258, Leopoli 1933, p. 52.

¹¹⁾ Archivum Curiae Archiep. Gnesnensis, Acta Archiepiscopalia Sbignei Oleśnicki A 58 a, fol. 303 (confirmatio istius decreti synodalnis in synodo provinciali Lanciensensi a. 1489).

¹²⁾ Długosz, Hist. Pol. t. 3, p. 416 sq., 429.

¹³⁾ Ibid. 335.

¹⁴⁾ Ibid. 449.

¹⁵⁾ Ibid. 461.

¹⁶⁾ Ibid. 547.

etiam consuetudo, et antistites Gnesnenses matrimonia regalia sollemniter benedicerent regiamque prolem baptizarent.

Accedebat denique gravissima illa auctoritas iusque insimul atque officium tum ecclesiam Poloniae repraesentandi tum negotiis eius communibus consulendi ac praecipue iura, libertatem immunitatemque eius defendendi.

Antecellendo iis praerogativis ecclesiam Haliciensem s. Leopoliensem sedes metropolitana Gnesnensis uti ecclesia in tota Polonia matrix et principalis de facto iam ante Concilium Constantiense iure sedis primae seu primatialis pollebat. Non tamen praesto erat ei ipse titulus primatialis nec ulla in alteram metropolim iurisdictio. Quae ut legitime assequi posset Apostolicae Sedis expressa aut saltem tacita approbatione, legitimi tamen temporis praescriptione interveniente, omnino indigebat.

Ipsa dignitatis istius primatialis ac praerogativae confirmatio atque tituli aut iuris ad titulum largitio procul dubio ex decreto Concilii Constantiensis subsecuta est. Ea est constans et antiqua traditio, posteriorum memoriae imprimis a Joanne Długosz¹⁷⁾, aliquotiens sic perhibentis, memoriae mandata, etiamsi nullum eiusdem concessionis instrumenti in archivo capituli Gnesnensis inveniatur vestigium¹⁸⁾. Quamvis res ipsa in dubium vocari non possit, restat tamen disputandum, utrum expresso decreto concilii titulus primatialis concessus sit an potius obtenta agnitione atque confirmatio iam possessae praerogativae primatialis archiepiscopo Nicolao Trąba assumendi abhinc etiam tituli primatialis solidum praebuerit fundamentum. Ille verborum tenor, quo Joannes Długosz in Historia sua Polonica sub anno 1417 ea de re referendo utitur, protinus agnitionem possessae dignitatis et praerogativae auctoritatisque eius primatialis ex decreto Concilii Constantiensis atque ante electionem papae Martini V factam presumere suadent: „Coronationem autem huiusmodi (scil. reginae Elisabeth) Nicolaus Gnesnensis archiepiscopus, quod ministerio Leopoliensis expleta fuerit, molestius ferens,

¹⁷⁾ Hist. Pol. t. 4, p. 206, 809; Catalogus archiepiscoporum Gnesnensium, Opera t. 1, p. 369. — Cf. Likowski, o. c. p. 22, ad quem etiam de aliis scriptoribus antiquis tum et recentioribus ea de re tractantibus lectorem referimus.

¹⁸⁾ Cf. tamen infra.

veritus, ne et sua ecclesia eiusque praesules processu temporis excluderentur a primatu, Concilii Constantiensis solemnis privilegio et decreto primatem se Polonicae ecclesiae declarari obtinuit ab eoque tempore ipse et suus quilibet successor se ecclesiae Gnesnensis inscribit archiepiscopum et primatem¹⁹⁾. Interpretando eius relationis verba urgere velimus praecipue terminum „Concilii... decreto primatem se... declarari obtinuit“. Fontem vero istius relationis fide dignum praebuerit Długossio et archivum Regni et capitulum Gnesnense, cuius ipse fuit membrum, ac praecipue Sbigneus Oleśnicki, regius tempore concilii secretarius et canonicus Gnesnensis, post Cracoviensis episcopus (1423—1455), cuius familiaris secretariusque Długosz fuerat ac posterius procurator eius in Curia Romana ad assequendum cardinalatum legationisque officium. Ceterum rem tunc notariam fuisse oportuit.

Neque solius Długossii verbis res fulcitur. Accedit propria relatio cuiusdam cathalogi archiepiscoporum Gnesnensium, saec. XV forte in monasterio s. Crucis exarati acquidem iuxta vetustiorem, iam tempore primatis Vincentii Kot (1436—1448) conscriptum, ubi de formalis ipsius tituli primatialis concessione perhibetur: „Hic (scil. Nicolaus Trąba) ecclesiae suae Gnesnensi in concilio Constantensi hoc privilegium obtinuit, ut de cetero Gnesnensis pontifex primatem se et sacrae ecclesiae Gnesnensis archiepiscopum intitulet“²⁰⁾.

Quod vero coronatio reginae Elisabeth absente Gnesnensi antistite a Leopoliensi in ecclesia cathedrali Cracoviensi personata proximam archiepiscopo Nicolao deditur causam, cur

¹⁹⁾ Hist. Pol. t. 4, p. 206. — Ibid. p. 309 sq. referendo de morte archiepiscopi Nicolai Trąba Długosz similiter rem perhibet, causam tamen „obtenti privilegii primatialis“ titulique assumpti potius translationem metropolis Haliciensis Leopolim factam indicans: „Cuius virtus in Concilio Constantensi adeo vulgata erat, ut ad Summum Pontificem a plerisque electoribus deposceretur. Qui etiam ab eodem Concilio Constantensi privilegio primatiatus obtento, ecclesiam suam Gnesensem insigniorem redidit primusque se inter Gnesnenses archiepiscopos Primate titulare coepit propter Leopoliensem metropolim ex Haliciensi civitate translatam, sub temporibus parum ante transactis erectam“. — Itidem in Cathalogo archiepiscoporum Gnesnensium rem narrat nulla tamen facta mentione translationem sedis Haliciensis causam obtenti privilegii praebuisse (l. c.).

²⁰⁾ Monum. Pol. Hist. t. 3, p. 397 et nota 5; cf. p. 388.

a Concilio Constantiensi primatem se agnoscere et declarari petiverit, hoc etiam nobis omnino fide dignum videtur. Advertendum est enim actum istius coronationis, etsi mandato regio exhibatum, manifestam iuris eius laesionem prae se tulisse eique etiam in futurum derogare potuisse. Cum autem praelati et barones Regni matrimonium istud regis cum subditi eius, castellani scilicet Naclensis Vincentii Granowski relicta, filia vero Cracoviensis palatini Ottonis de Pilcza, prorsus reprobarent gravissimumque totius Regni periculum inde oriturum esset praecavendum, auctoritatis fuit praecipue metropolitani Gnesnensis aut regem ab infaustis nuptiis abducendi aut animos opponentium comprehendendi. Afferre liceat etiam detestabiles illas dissensiones ex coronatione regis Stephani Bathorei exortas, quam invito primate, Austriae partibus favente, Vladislaviensi episcopo tamquam ea in re primatis locum tenenti persolvere barones Regni demandaverunt²¹⁾.

Laesa autem antiquissima ista sedis Gnesnensis praerogativa procul dubio rex archiepiscopo Nicolao, cui summopere addictus erat, eiusque successoribus in futurum eam reservare debitamque satisfactionem persolvere haud designatus, causam primatus eius tum concilio generali tum futuro Summo Pontifici optime commendaverat. Id prorsus concedendum existimamus domino Likowski, nullatenus autem titulum ipsum a rege Vladislao Jagiellone concessum indeque ab archiepiscopo assumptum fuisse, quae concessio regia vix cuiusvis in facie Ecclesiae esse potuisset momenti. Ceterum ipse autor assentiendo tandem ea in re sententiae domini Abraham hypothesim illam nullo prorsus patenti argumento fulciri ultro concessisse videtur²²⁾.

Regi autem Poloniae agnoscendae in Concilio Constantiensi primatialis praerogativae sedis Gnesnensis causa summo erat favore prosequenda, cum et honor et dignitas Regni ac gravissima tum ecclesiastici tum politici momenti negotia cum ordine Theutonico ad arbitrium concilii oecumenici delata ibique tractanda summa auctoritate metropolitani Gnesnensis uti primi ad Concilium ambassiatoris regis totiusque Regni indigerent. Quae

²¹⁾ Korytkowski, Arcybiskupi gnieźnieńscy, Poznań 1888, t. 1, p. 118, t. 3, p. 389 sq.

²²⁾ Wolski J. K. (pseudon.), Jeszcze o prymasostwie Polski, Kurjer Poznański 1925 nr. 74.

res probabiliter iam perpensa constitutaque erat in synodo provinciali Unieoviensi mense Junio a. 1414 praesente etiam Leopoliensi archiepiscopo Joanne, ubi tractatus habiti sunt in causa Concilii²³⁾. Illud autem, quod metropolitanus Leopoliensis, sicut iam a. 1406 suffraganeus eius Vladimiriensis Gregorius Calisiensi interfuerat²⁴⁾, synodum prae-libatam personaliter adierit, decretis eius consensum praebuerit atque ex auctoritate eiusdem synodi una cum tribus suffraganeis metropolitani Gnesnensi in causa eiusdem ad Concilium Constantiensi profecturi regem adierit, haud parvi est momenti. In litteris vero regalibus exinde ad capitulum ecclesiae Gnesnensis emanatis archiepiscopus ad concilium profecturus dignis etiam pecuniis expediendus memoratur: „ubi dante Deo honor et commodum huius sacrae coronae et totius provinciae tractabitur“, quorum tenore verborum totius Regni ecclesia sive utraque provincia continetur²⁵⁾, sicuti posterioribus saeculis vocabulo synodi provincialis primatales synodi demoninabantur.

Sic iam ante concilium Constantiense, si respiciamus etiam superius dicta de actuali possessione iuris praedentiae et coronandi reges, res primatialis auctoritatis et praerogativae sedis Gnesnensis tum ex parte regis tum episcopatus ac praecipue metropolitani Leopoliensis fundamentaliter et principaliter ordinata et acceptata erat nulla omnino obveniente dissensione neque ullo dubio. Optime etiam ea de re informatae erant aliae partes orbis catholici v. gr. abbas generalis ordinis Cisterciensis, qui in litteris suis ad abbates eiusdem ordinis directis d. 25. VI. 1417 (Constantiae) strictius observato hierarchico ordine primo tres primatales ecclesias, Gnesensem, Magdeburgensem et Strigoniensem enumerat, deinde archiepiscopales Pragensem, Rigensem, Leopoliensem, denique exemptam dioecesim Camensem²⁶⁾. Joannes XXIII vero oboedientiae suae papa in privilegio pro ecclesia Gnesnensi d. Mantuae 5. I. 1414 emanato super

²³⁾ Ulanowski, Acta capitulorum necnon iudiciorum ecclesiastico-rum, vol. 1, nr. 1521. — Abraham l. c. p. 121 sq.

²⁴⁾ Likowski H., Synod prowincjonalny kaliski z r. 1406, Przegląd Teologiczny a. 6 (1925), p. 388 sq.

²⁵⁾ Ulanowski l. c.

²⁶⁾ Codex diplomaticus universitatis studii generalis Cracoviensis, Cracoviae 1870 t. 1, nr. 61.

reservatione dignitatum et canonicatum istius ecclesiae pro nobilibus huius Regni, innitendo assertioni regis Vladislai, Gnesnensem ecclesiam „inter ceteras in regno Poloniae existentes insigniores“ memorat atque inter „notabiles“ ecclesias metropoliticas refert²⁷⁾.

Primalis eiusdem praerogativa, de facto iam existentis, agnitionis declarationisque a Concilio Constantiensi obtinendae haud ulla oriri potuit ambiguitas aut difficultas, praesertim cum et ipse archiepiscopus Nicolaus, et ecclesiam totius Poloniae et regem ac principes baronesque Regni repraesentans, vir esset eximii ingenii summaeque auctoritatis et, ut obloquitur tenor provisionis eius apostolicae, „grandium virtutum meritis“ plenus²⁸⁾, in rebus quoque publicis, antea vicecancellarii Regni officio functus, optime versatus, qui etiam in Concilio singularem indolis ostendens gratiam una cum Rigensi archiepiscopo nonnullisque praelatis minoribus e natione Germanica ad conclave pro eligendo Summo Pontifice erat deputatus²⁹⁾.

Quodsi in actis eiusdem concilii saltem ab anno 1417, quo primas declaratus esse fertur, minime titulus iste ei apponatur, advertendum est iuxta tunc vigentem Ecclesiae disciplinam ac etiam posterioribus in conciliis nec titulum additum nec seorsivas sedes primatibus fuisse concessas. Neque tamen ulla agnitae dignitatis eius primalis in actis praelibatis desunt indicia, quamvis minime nos referre velimus ad acta sessionis XXI. diei

²⁷⁾ Codex epistolaris saec. XV, Cracoviae 1876 sq., t. 2, nr. 55.

²⁸⁾ Ulanowski, Acta capitularum vol. 1, nr. 1506.

²⁹⁾ Harduin, Acta conciliorum, Parisiis 1714, t. 8, col. 868; Długosz, Opera t. 1, p. 369 (laus eius virtutum ac nota illa versio in conclavi multas voces in eum directas fuisse, quae tamen in tantum probari potest deputatos nationis Germanicae praecipue, frustratis aliquot votacionibus, quibus singulae nationes e suo gremio papam eligere niterentur, ad unanimum card. Odonis Colonna electionem contribuisse). — Idem, Hist. Pol. t. 4, p. 198 sq.: „Sigismundus autem rex... Parisios ad pacificandum Franciae et Angliae reges... transiit secumque una Nicolaum Gnesnensem archiepiscopum, quod et familia equisque, vasis insuper aureis et argenteis itemque expensis magnificis splendidum tenebat in Concilio Constantiensi statum, inter pontifices orbis catholici... sed neque inter cardinales habens secundum... mitti obtinuit“. — Venerat autem archiepiscopus Constantiam, sicut refert Chronicum Ulrici de Reichental, cum sescentis personis, quarum ducentae quinquaginta ad ipsius curiam pertinebant (cf. Piekosiński, Goście polscy na soborze konstancjjskim, R. Ak. Um. h. — f. t. 37, p. 131 sq.).

4. II. 1416, in quibus concordatui cum Bavariae rege inito archiepiscopus Nicolaus immediate post patriarchas, p[ro]ae allis autem archiepiscopis, quamvis prius promotis subscriptis videtur, prout dominus Abraham proponit³⁰⁾, cum alii duo praesumpti archiepiscopi h. e. Ripensis et Saresburiensis tantummodo in episcopali dignitate constituti essent. Singulis tamen antistitibus pro se, aliis vero utpote nostro Plocensi Jacobo pro regibus suis subscriptis, Aniciensi autem immediate se Romano Pontifici subiectum protestanti, archiepiscopus Gnesnensis pro ecclesia sua et rege Poloniae h. e. pro ecclesia totius Regni, cuius erat primas et ad Concilium praecipuus delegatus, subscriptis³¹⁾.

Celeberrimum autem Chronicon Ulrici de Reichental archiepiscopo Nicolao undecim episcopos subditos esse refert, quo numero evidenter praeter sex suffraganeos sedis Gnesnensis alterius provinciae antistites auctorem complecti patet³²⁾.

In litteris demum oratorum universitatis Coloniensis die 15. V. 1415 Constantiae ad Concilium in causa treugarum pacis inter Regnum Poloniae ordinemque Cruciferorum datis inter legatos Romanorum regis primo loco ponitur archiepiscopus Gnesnensis, altero Strigoniensis (Hungariae primas), quamvis multo ante illum ad archiepiscopatum promotus, unde archiepiscopum Nicolaum Strigoniensi Joanni dignitate minime cessisse manifesto eluescit³³⁾.

Quod vero terminum obtentae a Concilio declarationis praerogativae istius attinet, Joannes Długosz anno 1417 et ante electionem Martini V (11. XI.) id actum esse refert. Cui rela-

³⁰⁾ L. c. p. 122.

³¹⁾ Harduin, Acta conciliorum, t. 8, p. 480: „Joannes patriarcha Constantinopolitanus, Joannes Antiochenus patriarcha, Nicolaus archiepiscopus Gnesnensis pro ecclesia sua et rege Poloniae. Petrus archiepiscopus Rigensis (recte episcopus Ripensis) pro se et rege Daniae, Sueciae et Norvegiae. Jacobus episcopus Placentinus (recte: Plocensis) pro se et rege Poloniae et duce Vitoldo. Nicolaus ep. Bathoniensis pro se et rege Angliae. Robertus archiep. (recte: ep.) Saresburiensis pro se et rege Angliae. Andreas ep. Colocensis pro se et rege Romanorum.... Elias ep. Aniciensis nulli praeterquam Romanae subditus ecclesiae....“

³²⁾ P. 165; cf. Abraham l. c.

³³⁾ Martène et Durand, Thesaurus novus anecdotorum, Lutetiae Parisiorum 1717, t. 2, col. 1663.

tioni, uti voluit dns Likowski³⁴⁾, vix obici potest antedictam coronationem reginae Elisabeth demum die 19 novembris i. e. post electionem papae peractam esse. Ipsa enim coronationis die duobus vel tribus mensibus ante indicta, res procul dubio etiam ad archiepiscopi Nicolai notitiam celerius pervenerat, ita ut et protestationis ad regem facienda regisque ad Concilium in causa primatialis archiepiscopi praerogativae mittendi litteras satis temporis spatii superesset. Quodsi in actis Concilii eiusmodi supplicatio regis minime inveniatur, nihil refert, cum eadem acta, hucusque collecta, plurimas litteras demum ex diversis christiani orbis archivis desumptas contineant.

Obtenta tamen ista declaratione Concilii archiepiscopus Nicolaus, priusquam titulum primatiale assumeret, merito et Summi Pontificis approbationem seu concessione exspectavisse videtur, quam forte initio anni 1418 assecutus est, cum ipse in litteris suis, ultimis e Concilio, datis d. 25. I. 1418 ad ducem Austriae Ernestum titulo primatiali nondum utatur³⁵⁾, in privilegio vero regis Poloniae d. 14. III. 1418 idem titulus ei iam apponatur³⁶⁾. Super quo archiepiscopus Nicolaus privilegium a papa Martino V re ipsa obtinuisse videtur. Quod si in archivo capitulari nullum eius vestigium inveniatur, in curiis successorum Nicolai Trąba asservatum ac perisse videtur sicuti etiam gravissimi momenti privilegium regium a. 1451, quo contra imcompetitiones card. Sbignei Oleśnicki, Cracoviensis episcopi, ius coronandi archiepiscopis Gnesnensibus confirmatum et perpetuo reservatum erat, similiter non multo tempore post deperierat, ita ut primas Joannes Łaski e metrica Regni illud transsumendum atque confirmandum a rege Sigismundo I anno 1512 expetiverit³⁷⁾. Novem vero abhinc annis in archivo capitulari inter litteras dissolutas instrumentum publicum, tempore admodum iam contritum, invenimus, mense octobri a. 1515 in arce Strigonii confectum super praerogativa legationis natae primatis Hungariae, quod memoratus archiepiscopus apud se servasse

³⁴⁾ L. c. p. 37, adnot. 4.

³⁵⁾ Codex epist. t. 2, nr. 85; cf. Likowski l. c. p. 156.

³⁶⁾ Cod. dipl. Maj. Pol. t. 5, nr. 46.

³⁷⁾ Korytkowski, Arcybiskupi gnieźnieńscy t. 1, p. 117. Privilegium illud originale paulo ante Plocensi episcopo Erasmo Ciołek extraditum erat neque tamen ab eo deinde recipi poterat.

videtur, eo autem defuncto capitulum minime aliis archivi sui documentis inseruit³⁸⁾.

Privilegii vero papae Martini V super primatiali dignitate archiepiscopi Gnesnensis memorabilis quaedam in litteris secretis scholastici Gnesnensis Petri Wolframmi die 13. XI. 1418 ad eundem papam datis mentio inveniri videtur. Quibus ex litteris innotescit intentio, pridem quidem secrete servata, tunc vero notoria, Gnesnensis et Cracoviensis antistitum ecclesias eorum commutandi, quam praelibatus scholasticus tunc iam sine gravi utriusque scandalo pertransire non posse existimat, postquam Sanctissimus Dominus „unum breve plus quam debuit gratiosum“ eidem archiepiscopo destinaverit³⁹⁾. Quae autem istius attentatae permutationis fuerit causa, vix intellegi potest. Erant tamen inter archiepiscopum Nicolaum et Adalbertum, Cracoviensem episcopum atque regis Poloniae cancellarium, quaedam dissensiones. Qui vir ambitiosus a. 1412 Cracoviensem antistitem Petrum de Radolina ad Posnaniensem sedem indigne in sui commodum ac maximo omnium cum scandalo detrudi ficerat, postquam archiepiscopatum Gnesnensem, ad quem Nicolaus Trąba promotus erat, frustra ipse appetiverat. In negotio forte eiusdem permutationis idem Petrus Wolframmi, procurator eius apud concilium existens, litteris suis d. 26. I. 1418 Constantiam eum instanter vocaverat: „et si grandem rem petetis, danda erit vobis sine fallo“⁴⁰⁾. Reverso autem e concilio archiepiscopo Nicolao, quasi Constantiae negotia Regni Poloniae sinistre peregisset, diffidebatur litteris ca-

³⁸⁾ Nota dorsalis eiusdem instrumenti: „Legationis natae auctoritas et praerogativa in litteris Bonifacii et Nicolai Pontificum, ut nimur in omnes ecclesias cathedrales et metropoliticas immo etiam exemptas regulares personas suae metropolis in foro conscientiae et contentioso iurisdictionem exercere possit“.

³⁹⁾ Codex epist. t. 2, nr. 91: „Item Pater Beatissime, hoc, quod pridem in aure dicebatur, nunc predicatur super tecta, quomodo predicti domini Gnesnensis et Cracoviensis presul ecclesias suas etc. Tamen quia ex post Vestra innata benignitas eidem archiepiscopo Gnesnensi unum breve plus quam debuit graciosum per Martinum domini nostri regis Poloniae notarium consanguineum meum destinavit, non estimo, quin permutatio huiusmodi poterit consumari, que si fieret, non posset sine utriusque gravi scandalo pertransire“.

⁴⁰⁾ Codex epist. t. 2, nr. 87.

lumniosis cuiusdam Petri Bolesłae Pieskowskiego, praepositi Lanciciensis, e cognatione episcopi Cracoviensis oriundi, cui etiam idem episcopus de canonicatu in ecclesia Cracoviensi providerat⁴¹⁾. Propter quam diffidentiam „Primas“ Nicolaus d. 3. III. 1419 coram rege Vladislao, archiepiscopo Leopoliensi aliisque praelatis et baronibus, minime tamen iudicio eorum se subiciens, corporali super imaginem Crucifixi in pectorali suo iuramento innocentiam suam comprobavit atque dein gratias regis pro omnibus in Concilio pro Regno toto peractis summas rettulit⁴²⁾. Quantum vero diffidentiae illae, probabiliter ab ipso cancellario regis concitae, causam obtinendi privilegii primatialis attigerint, non est perspicuum; defuncto primate Nicolao episcopus Cracoviensis invitatus ad Gnesensem sedem sese transtulit, cum cancellarii officio deberet resignare⁴³⁾.

Ex memoratis tamen litteris Petri Wolframmi unum patere videtur, Summum Pontificem litteras privilegii primatialis rei ipsa archiepiscopo Gnesensi tradidisse, ubi attentata ista commutatio episcopatum post transmissum breve illud nimis gratiosum sine gravissimo scandalo iam non potuit consummari. Acquidem approbata iam re durante Concilio ab ipso papa Martino V, litterae privilegii forte demum post redditum archiepiscopi in patriam⁴⁴⁾ mediante secretario regis Martino transmissae sunt.

A tempore Concilii Constantiensis archiepiscopi Gnesnenses continuo etiam titulo primatiali utebantur, ipse Nicolaus Trąba, iam in memorato privilegio de d. 14. III. 1418 eo insignitus, postridie suum cum rege congressum ipse prima vice eodem utitur episcopum Vladislaviensem in forum suum citando⁴⁵⁾. Ex eodem anno accedit aliud privilegium regium, pro ecclesia Vladislaviensi d. 4. VIII. 1418 emanatum, in quo archiepiscopus

⁴¹⁾ Łętowski, Katalog biskupów, prałatów i kanoników krakowskich, Cracoviae 1852, t. 3, p. 452.

⁴²⁾ Gołębiowski Ł., Dzieje Polski za Władysława Jagieły i Władysława III, Warszawa 1846, t. 1, p. 567.

⁴³⁾ Kłapkowski Wł., Działalność kościelna biskupa Wojciecha Jastrzębca, Warszawskie Studia Teologiczne 5, Warszawa 1932, p. 7.

⁴⁴⁾ Ex civitate Constantiens profectus 17. V., primum cum rege Vladislao congressus est die 19. VI. 1418 in Pobiedziska — cf. Likowski I. c. p. 162 ssq. et 165.

⁴⁵⁾ Codex epist. t. 1, nr. 52; cf. Likowski I. c., p. 181 sq.

iterum primas denominatur⁴⁶⁾. Cum vero in ulteriore privilegio regali duobus diebus post edito ac deinde etiam in aliis documentis uno tantum, ut videbatur, fidedigno excepto, per plus quam unius anni decursum titulus idem ei minime appositus sit, in actis autem capituli Gnesnensis demum mense octobri a. 1419 primum inveniatur, dns Likowski inde usum tituli per istius temporis decursum propter protestationem metropolitani Leopoliensis archiepiscopo Nicolao prohibitum atque suspensum fuisse collegit⁴⁷⁾. Quia autem de huiusmodi protestatione praesumpta nihil omnino constat, ipse vero Leopoliensis antistes iam anno 1414 synodo Unieoviensi, ubi res ipsa cum consensu eius perfecta erat, interfuit, nil inde evenire patet, utrum deinde titulus primatialis in litteris ei apponatur necne, quod et dns Abraham animadvertisit arbitrio cancelliorum illud tribuendo⁴⁸⁾.

Adsunt tamen plura eiusdem anni 1419 documenta, tum originalia tum ex transsumptis vel copiis, omnino tamen fidedignis, collecta, quibus archiepiscopus Nicolaus titulo primatiali denominatur:

1. 1419 14. II., Łęczyca, litterae iudicii terrestris Lanciciensis in causa heredum de Kwiłno et Koźmin⁴⁹⁾.
2. „ (Febr.?, Łowicz), privilegium primatis, quo ius Neeforense oppido Łowicz confert⁵⁰⁾.
3. „ 3. III., Jedlna, litterae regales expurgationis primatis Nicolai (praesente archiepiscopo Leopoliensi)⁵¹⁾.
4. „ 9. III., Wieluń, privilegium regale pro villa Pałtów⁵²⁾.
5. „ (Mart., Opatów), privilegium primatis super scultetiam villae Borowo in distr. Opatoviensi⁵³⁾.

⁴⁶⁾ Cod. dipl. Pol. t. 2, nr. 363; Likowski l. c.

⁴⁷⁾ L. c.

⁴⁸⁾ Kwart. Hist. l. c., p. 123 sq.

⁴⁹⁾ Cod. dipl. Mai. Pol. t. 5, nr. 292 — ex originali.

⁵⁰⁾ Ulanowski, Visitations bonorum archiepiscopatus necnon capituli Gnesnensis saec. XVI, Cracoviae 1920, p. 3 sq., regest. nr. 190. — Ex itinerario primatis privilegium illud vel m. Februario vel etiam Julio aut Augusto emanasse colligitur.

⁵¹⁾ Cf. adnot. 42.

⁵²⁾ Ex transsumpto privilegii regalis d. 9. IV. 1484 — orig. nr. 510 in Archivo capituli Gnesn.

⁵³⁾ Ulanowski, Visit. bonorum p. 412, nr. regest. 191.

6. 1419 16. VI., Chełm, litterae praesentationis ad ecclesiam parochialem in Chełm⁵⁴⁾.
7. „ 28. VI., Uniejów, privilegium primatis pro hospitali in Koło⁵⁵⁾.
8. „ (a. 26. VII.), articuli conventionis Gniewkoviensis cum ordine Cruciferorum (instructio pro commissariis regiis⁵⁶⁾.

Hactenus contra propositionem dni Likowski res erat prosequenda. Procul dubio et aliae litterae eiusmodi invenientur, praesertim in libris privilegiorum capituli Gnesnensis, tum in actis consistorii, quae perscrutanda iam superfluum nobis visum est. Die 21 m. Octobris occurrit prima ista in actis capituli adnotatio tituli primatialis archiepiscopi Nicolai. Sequuntur abhinc plurimae litterae, in quibus idem primas intitulatur: 1419 24. X., Gnesnae, litterae primatis super translatione ecclesiae collegiatae Rudensis in civitatem Wielunensem; 26. X., Gnesnae, litterae eiusdem, quibus in ecclesia sua cathedrali altare s. Thomae Cantuariensis, Angliae quondam primatis, dotat et erigit⁵⁷⁾, deinde anno 1420 3. I. Lanciae, litterae iudicij terrestris Lanciciensis⁵⁸⁾, 13. I. acta synodi provincialis Wielunensis, a Nicolao primate celebratae; 22. II. privilegium regium pro oppido archiepiscopali Turek⁵⁹⁾. In libro receptionis notariorum publicorum consistorii Gnesnensis immediate post synodum praelibatam, iam initio anni eiusdem 1420 condito, complures inscriptae sunt eiusmodi receptiones, in quibus archiepiscopo Nicolao semper primatialis titulus apponitur⁶⁰⁾. Quodsi in actis capituli Gnesnensis usque ad mensem Octobrem a. 1419 et similiter in actis consistorii

⁵⁴⁾ Cod. dipl. Mai. Pol. t. 5, nr. 297 — ex orig.

⁵⁵⁾ Archivum Curiae Archiep. Gnesnensis, Acta consistorii Gnesnensis A 209 (d. 23. VIII. 1797).

⁵⁶⁾ Raczyński, Cod. dipl. Lithuaniae nr. 236. — Ubi articulis istis appositus est annus 1419; non assentimur obiectioni dni Likowski (l. c.).

⁵⁷⁾ Cod. dipl. Mai. Pol. t. 5, nr. 305 ex copia, nr. 306 — orig.

⁵⁸⁾ Ibid. nr. 314.

⁵⁹⁾ Cod. dipl. Mai. Pol. t. 5, nr. 315 — orig.

⁶⁰⁾ „... approbatus iuxta statutum nuper in synodo provinciali per archiepiscopum et primatum Nicolaum et episcopos suaे provinciae in civitate Welunensi celebrata editi”... — Archivum Curiae Archiep. Gnesn. G. II, 1 fol. 1, 13–14, 41–49, quae chartae pergamente antiquissimam libri istius partem constituant.

eiusdem usque ad annum 1420 titulus ille non inveniatur, brevitatem textus interpretandum est („dns Archiepiscopus“), quod et in actis posteriorum annorum persaepe observari potest. Ubi tamen notabilis momenti res agitur, plenus titulus („sacrosanctae metropolitanae ecclesiae Gnesnensis archiepiscopus et primas“) occurrit, sic in actis capituli primum die 21 Octobris 1419, ubi de convocando synodo provinciali tractatur⁶¹⁾, vel in actis consistorii diei 5 Maii 1420, ubi res nominationem novi vicarii generalis et officialis concernit⁶²⁾.

Decursu vero temporis archiepiscopi Gnesnenses vulgariter pleno titulo primatiali denominabantur ipsique semper eodem utebantur. Apponebant autem hunc titulum et ipsi archiepiscopi ac praecipue reges Poloniae etiam in litteris ad Sedem Apostolicam directis, prima forte vice rex Vladislaus in litteris suis anni 1423 ad papam Martinum V datis⁶³⁾.

Summi vero Pontifices iuxta receptam cancellariae Romanae consuetudinem et regulam rarius eum apponebant, prioribus saltem temporibus, ex posterioribus tamen plurima afferri possunt exempla. Ante obtentum legationis natae privilegium reperrimus titulum istum e. gr. in litteris papae Pauli II anno 1471, Julii II a. 1508, similiter Leonis X a. 1512—1515 ad archiepiscopos Gnesnenses directis ac etiam in litteris Leonis X de d. 20. V. 1513 ad concilium oecumenicum Lateranense datis⁶⁴⁾. Anno 1493 papa Alexander VI episcopum Andream, coadiutorem metropolitani Leopoliensis, ad tempora vitae primatis Sbignei Oleśnicki, tamquam personaliter ei infesti, a iurisdictione eius exemit, acquidem, ut re ipsa patet, primatiali⁶⁵⁾. Ex ultimis vero annis antiquae Reipublicae nostrae afferre liceat binas litteras

⁶¹⁾ Ulanowski, Acta capitulorum v. 1, nr. 1552.

⁶²⁾ Ibid. v. 2, nr. 157.

⁶³⁾ Liber cancellariae Stanislai Ciołek, ed. Caro, Wien 1871, nr. 49.

⁶⁴⁾ Archivum capitul. Gnesn., Dipl. perg. nr. 580; Theiner, Vetera Monumenta Poloniae t. 2, 209, 372, 383; Harduin, Acta conciliorum t. 9, col. 1680: „Leo episcopus servus servorum Dei.... adventus quoque venerabilis fratris Joannis archiepiscopi Gnesnensis primatis Poloniae, carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Poloniae regis oratoris, ad praestandum nobis dicti regis nomine oboedientiam et adhaerendum ac se incorporandum nomine totius Polonicae nationis sacro Lateranensi concilio“...

⁶⁵⁾ Theiner, Vet. Monum. Pol., t. 2, nr. 285 (non tamen apponitur titulus ipse).

Sedis Apostoliae de d. 9. VIII. et 21. VIII. 1793, in quibus similiter archiepiscopus Michael Poniatowski titulo primatiali insignitur⁶⁶⁾.

Fuit iam a mediis aevis consuetudinis Sedis Apostolicae, ut iura primatialia archiepiscopis una cum legatione apostolica largiretur. Quod si archiepiscopus Nicolaus Trąba in concilio Constantiensi solummodo primatialis suae prerogativa, quam de facto possidebat, confirmationem atque etiam titulum primatis assecutus est, tamen absque legatione nata, inde forte factum est, quod nullam propriam in alteram metropolim obtinuerat iurisdictionem. Quam cum decurrente saeculo XV successores eius acquisivissent, papa Leo X in concilio Lateranensi primati Joanni Łaski solemini privilegio de 25. VII. 1515 expresso verbo eam confirmavit legationemque natam ei superaddidit, ita ut iurisdictionem primatalem in provinciam Leopoliensem totumque Regnum Poloniae abhinc etiam legationis praeminentiae titulo exerceret⁶⁷⁾. Indulta autem ipsa legatio „ad instar Can-

⁶⁶⁾ Archivum Curiae Archiep. Gnesn., Acta Postcurialia archiep. Michaelis Poniatowski D 5, p. 132, 139.

⁶⁷⁾ „Leo episcopus etc... Attentes igitur, quod pro toto Regno Poloniae una metropolitana Gnesnensis videlicet principalis ecclesia existit, cui omnes aliae ecclesiae dicti Regni metropolitico iure ac etiam metropolitana Leopoliensis in terris Russiae ad regnum ipsum pertinentibus primatiali iure sunt subiectae, et quod si ... Joannes de Lasko... archiepiscopus Gnesnensis suae archiepiscopali provinciae et ecclesiis sibi metropolitico ac praedicto primatiali iure subiectis non solum metropolitico ac primatiali, sed etiam legationis iure praesesset et ratione dignitatis eiusdem primatialis huiusmodi legationis officium haberet, ex hoc profecto salubriori et diligentiori exercitio metropolitae primatialisque iurisdictionis et commoditati ecclesiarum.... plurimum consuleretur, praedictum Joannem de Lasko... archiepiscopum Gnesnensem legatum natum... ita, quod de cetero suae archiepiscopali et praedictae Leopoliensi provinciis et ecclesiis sibi metropolitico et primatiali iure subiectis non solum metropolitico et primatiali, sed etiam legationis iure praesit et ratione dignitatis suae primatialis et legationis officium in ipsis provinciis habeat, auctoritate apostolica... facimus et constituimus... concedentes, ut omnibus et singulis privilegiis... honoribus et gratiis uti et gaudere, quod omnia et singula facere et exercere... quae... alii legati nati, praesertim vero legatus Cantuariensis, in provinciis suis de iure, privilegio et consuetudine mandare, facere et exequi possint, libere et licite valeat”... Quod privilegium typis mandatum est pluries e. gr. Joannes de Lasko, Statuta nova inclitae provinciae Gnesnensis, Cracoviae 1527; Chodyński et Likowski, Decretales Summorum Ponti-

thuariensis“ augendae iurisdictionis primatis obtulit facultatem; quam rem tamen Joannes Łaski diligentius non est persecutus, cum Canthuariensem primatem pro obtainendo iurisdictionis eius authentico instrumento minime adisset, sed tantum revertendo e concilio Strigonium deflecteret iurisdictionisque Hungariae primatis legatique nati notitiam in forma publica sibi fieri procuravisset⁶⁸⁾). Praedicta vero bulla „Pro excellenti preeminentia“ a primate Joanne Łaski in synodo provinciali Lanciciensi a. 1522 publicata constitutionibusque synodalibus inserta est⁶⁹⁾.

Accessit denique privilegium papae Benedicti XIV „Ad de-
corem ecclesiae“ de d. 22. IX 1749, quo ad augendum splen-
dorem praerogativae primatialis archiepiscopis Gnesnensibus ad
instantiam regis Augusti III usus vestimenti purpurei
ac crucis primatialis ubique locorum, praesente etiam
nuntio apostolico, concessus est⁷⁰⁾.

II.

De ambitu iuris primatialis archiepiscopi Gnesnensis.

Iam ante obtentam in concilio Constantiensi declarationem
primatialis praerogativae ac ipsius tituli huiusmodi concessio-
nem archiepiscopi Gnesnenses quibusdam praerogativis metro-
politanos sedis Leopoliensis antecellebant, maiore scilicet aucto-
ritate, tum iure praecedentiae, denique iure coronandi reges et
reginas Poloniae.

Quibus praerogativis etiam posterioribus saeculis fruebantur
ipsaeque post obtentam dignitatem titulumque primatiale a con-
cilio memorato et papa Martino V per aliquot decennia omnem
iuris eorum primatialis ambitum efficiebant.

Auctoritate sua primatiali antistites Gnesnenses
res ecclesiae totius Poloniae communes tractabant, praincipue in

ficum pro Regno Poloniae et constitutiones synodorum, Posnaniae 1883,
t. 1, p. 238 sq.

⁶⁸⁾ Vide supra memoratum instrumentum a. 1515 desuper Strigonii
confectum; Korytkowski, Arcybiskupi gnieźnieńscy t. 2, p. 622, 632 sq.

⁶⁹⁾ Cf. adnot. 67 et inferius pag. 638.

⁷⁰⁾ Korytkowski, Arcybiskupi gnieźnieńscy, t. 4, p. 588 ssq.

defendendis eius iuribus atque libertate aut consulendo eius necessitatibus, eamque reprezentabant, utpote primas Joannes Łaski in concilio Lateranensi quinto⁷¹⁾ vel iam Nicolaus Trąba in Constantiensi. Quare et Summi Pontifices in negotiis ecclesiae nostrarum partium communibus eosdem litteris suis adire solebant.

Iure praecedentiae p[re]e metropolitanis alterius provinciae Gnesnenses primates semper pacifice fruebantur. Cardinalibus tamen S. Romanae Ecclesiae, quamvis ea in re nonnunquam indignae dissensiones subortae essent utpote inter card. Sbigneum Oleśnicki, episcopum Cracoviensem, et primatem Vladislau[m] Oporowski, omnino eis erat cedendum, iis tamen rebus exceptis, quae iuris erant primatialis, videlicet in convocandis synodis primatialibus iisque praesidendo, in coronationibus regum vel in principatu senatus, qui sedi eorum Gnesnensi dignitatique primatiali erat annexus, quod et in memorato iam privilegio papae Benedicti XIV anni 1749 expresso verbo allegatur^{72).}

Ius vero coronandi reges reginasque Poloniae ex observata antiquissima consuetudine ita annexum erat sedi Gnesnensi, ut nec cardinalibus ea in re cederent, quod patet iam exemplo coronationis reginae Sophiae anni 1423, cui coronationi a primate Alberto Jastrzębiec peractae etiam card. Branda, Sedis Apostolicae legatus, pro aliis tamen negotiis missus, interfuit^{73).} Ne tamen iuri eorum episcopi Cracovienses, in quorum ecclesia cathedrali ab anno 1320 coronationes celebrabantur, praesertim si in cardinalitia constituti essent dignitate, derogarent, ius illud etiam sollemni privilegio regis Casimiri Jagiellonidis a. 1451 confirmatum perpetuoque reservatum est^{74),} denuo privilegiis Sigismundi I a. 1512 et Sigismundi Augusti a. 1550, denique statutis

⁷¹⁾ Cf. adnot. 64.

⁷²⁾ „....cum ecclesia archiepiscopal[is] et primatialis Gnesnensis.... celebris et magni nominis existat illiusque pro tempore existens archiepiscopus et primas in generalibus totius Regni Poloniae comitiis primatum habeat ac prima fulciri dignoscitur dignitate”....

⁷³⁾ Długosz, Hist. Pol. t. 3, p. 320.

⁷⁴⁾ Matricularum Regni Poloniae codices saec. XV conscripti, Monumenta iuris cura praepositorum Chartophylacio Maximo Varsaviensi edita vol. 2, nr. 134.

Regni a. 1633, 1641, 1736⁷⁵⁾ ac constitutione a. 1793⁷⁶⁾). Primate vero impedito aut sede eius vacante iuxta statutum Regni de d. 25. IV. 1576 loco eius unus ex episcopis Maioris Poloniae, Vladislaviensis vel Posnaniensis, coronationem absolverent⁷⁷⁾. Quam praerogativam Sedes Apostolica archiepiscopis Gnesnensibus litteris papae Sixti V de d. 3. II. 1589 contra quosvis impetatores, adiecta poena suspensionis ac beneficiorum privationis ipso facto incurrendae, ac iterum decreto S. Congregationis Cardinalium pro negotiis episcoporum de d. 6. XII. 1675 ipsum ius atque liberam in ecclesia Cracoviensi persolvendae sollemnis coronationis facultatem confirmavit⁷⁸⁾.

Decursu vero saeculi XV primates etiam iurisdictionem in alteram metropolim acquisierunt, ac quidem ius suscipiendi appellations a consistorio metropolitani Leopoliensis, tum et convocandi ipsum metropolitanum sedis istius eiusque suffraganeos ad synodos suas provinciales seu primatales vel Regni totius concilia.

Suscipiendi appellations a metropolitano Leopoliensi, quod iam dns Abraham animadvertit⁷⁹⁾, facultatem obtulit ipsum ius Decretalium⁸⁰⁾, cum commodum ecclesiae istarum partium inter schismaticos constitutae, a Curia autem Romana nimis longo itinere dissitae iudicium primatis adeundum summopere suaderet.

Primum huiusmodi appellations exemplum in actis consistorii Gnesnensis anni 1449 reperitur, quo ipse episcopus Chelmensis Joannes Kraska tribus in causis a metropolitano Leopoliensi ad Gnesensem appellavit, qui et causas eius admisit atque diiudicavit⁸¹⁾. Eodem anno quarta etiam causa in tertia instantia ad forum officialis Gnesnensis dilata est eaque Petri de Szczekociny, capitanei Chelmensis, contra Chelmense capitulum cathedralē⁸²⁾.

⁷⁵⁾ Korytkowski, Arcybiskupi gnieźnieńscy t. 1, p. 117 ssq.

⁷⁶⁾ Sejm Grodzieński 1793, cz. 2: Prawa Kardynalne, p. 8, 42 sq.

⁷⁷⁾ Korytkowski, I. c. p. 118.

⁷⁸⁾ Ibid. p. 117.

⁷⁹⁾ Kwart. Hist. a. 35 (1920), p. 125.

⁸⁰⁾ c. 1. D. 80; c. 3. X. II, 2.

⁸¹⁾ Acta consist. Gnesn. 1449 I fol. 57 et passim.

⁸²⁾ Ibid. fol. 149 et passim.

Quae tamen fuerit causa proxima deferendi appellationes illas ad forum primatis, vix dilucidari potest. Haud quidquam ea in re praebuerunt argumenti diutinae archiepiscopi Leopoliensis Joannis Sprowski cum proprio capitulo dissensiones, inter quas capitulum iam ante a. 1449 primatem appellasse dicitur, neque praelibati metropolitani summopere infracta auctoritas, postquam censuris iudicum a Sede Apostolica deputatorum implicatus usque ad obitum suum contumax perseveravisset⁸³⁾). Quae facta potius forum eius in prima secundaque instantia forte praetermittendum suaderent, nullatenus tamen inde cognoscitur, quare a consistorio eius non ad Curiam Romanam, sed ad primatem appellatum sit. Ideo stante supra citato praescripto iuris canonici potius cuiusdam nobis incognitae conventionis inter primatem alteriusque provinciae antistites pactae vel etiam turbidis illis in Ecclesia durante schismate temporibus factae concessionis Summi Pontificis ratio habenda est. Advertendum est etiam eodem tempore archiepiscopum Gnesnensem Vincentium Kot revertendo ad pristinum ius atque consuetudinem electo Vratislaviensi confirmationem suam iure metropolitico praebuisse ab eoque more aliorum primatum fidelitatis iuramentum erga Sedem Apostolicam ac ecclesiae suaे Gnesnensis antistitem exegisse et recepisse⁸⁴⁾). Denique et receptio iuris synodalis provinciae Gnesensis eodem tempore (1440) a Leopoliensi facta⁸⁵⁾ paulatim arctiorem ecclesiae et provinciae istius ad primatalem sedem aggregationem efficiebat.

Plurimae abhinc causae iudiciales appellationis via ab officio Leopoliensis metropolitae ad primatem deferebantur, quarum nonnullas ex singulis dioecesibus illius provinciae afferendas censuimus:

Ex Leopoliensi: a. 1466 causa Michaelis de Buczacz, palatini Podoliae, contra civissam Leopoliensem Annam, et altera n. Elisabeth de Pietrycze (?) ca. capitulum⁸⁶⁾; 1467 sq. grs. Elisabeth Gołogórska, palatini Leopoliensis Andreae Odrowąż re-

⁸³⁾ Sic opinabatur dns Likowski o. c. p. 252 sq.

⁸⁴⁾ Archivum capituli Gnesn., Dipl. perg. nr. 446; Korytkowski, Arcybiskupi gnieźn. t. 2, p. 202 sq.

⁸⁵⁾ Cf. infra.

⁸⁶⁾ Acta consist. Gnesn. 1466 fol. 5, 67, 76 e. p.

lictae, contra grs. Nicolaum Odrowąż⁸⁷⁾; 1477 sq. eiusdem contra administratorem et capitulum Leopol.⁸⁸⁾; 1479 et 1481 heredum oppidi Litwinów ca. canonicum Leopol. Nicolaum, plebanum in Kamieniec⁸⁹⁾; 1482 Elisabeth Gołogórska ca. archiepiscopum Leopol. Joannem; 1485 magistratus civitatis Leopoliensis contra eundem metropolitam appellationem interposuit ad papam Innocentium VIII „aut indifferenter ad... Sbigneum Dei gratia archiepiscopum et primatem eiusque sanctam sedem primatialem et metropolitanam Gnesensem“⁹¹⁾; 1487 similiter vicarius generalis Cracoviensis contra eundem archiepiscopum Gnesnam appellavit, quem deinde ex iure suo primatiali „ad ecclesiam Gnesensem“ archiep. Sbigneus Oleśnicki citavit⁹²⁾; 1488 causa canonici Leopoliensis Gregorii⁹³⁾; 1490—1492 causa iurispatronatus ecclesiae in Żelechów (dioec. Leopol.) in prima instantia coram officiali Gnesensi mota esse videtur, etc.

Ex Premisiensi dioecesi: 1473 causa iurispatronatus ecclesiae parochialis in Radymno⁹⁴⁾; ante 1479 vertebatur in consistorio Gnesnensi causa appellativa decani et praepositi capituli Premisiensi⁹⁵⁾; 1488 bacc. iur. can. Stanislai de Bochnia ca. n. Jacobum de Bilcza dioec. eiusdem⁹⁶⁾; 1501 iurispatronatus ecclesiae parochialis in Rzeszów⁹⁷⁾ e. a.

Ex Chełmensi praeter praefatas quattuor causas anni 1449 etiam 1465 causa grs. Hedvigis de Łańcuchów, relictæ subcamerarii Lublinensis, ca. venatorem Chelmensem n. Nicolaum Smok de Siedliszcze⁹⁸⁾; 1471 nn. Stanislai Gniewosz ca. Helenam de Zawada dioec. eiusd.⁹⁹⁾; 1471—1472 patronatus ecclesiae in Sokal¹⁰⁰⁾; 1493—1496 episcopi Chelmensis Mathiae

⁸⁷⁾ Ibid. 1467 fol. 10.

⁸⁸⁾ Ibid. 1477 fol. 88; 1478 fol. 2 v.

⁸⁹⁾ Ibid. 1479 fol. 57 v.; 1481 f. 185.

⁹⁰⁾ Ibid. 1482 fol. 55.

⁹¹⁾ AGrZ t. 10, nr. 81.

⁹²⁾ Cod. dipl. Univ. Cracov. t. 3, 278 sq.

⁹³⁾ Acta consist. Gnesn. 1488 f. 102 v.

⁹⁴⁾ Ibid. 1473 f. 52 v.

⁹⁵⁾ AGrZ t. 8, nr. 103.

⁹⁶⁾ Acta consist. Gnesn. 1488 f. 79 v.

⁹⁷⁾ Ibid. 1501 f. 52 v.

⁹⁸⁾ Ibid. 1465 f. 99.

⁹⁹⁾ Ibid. 1471 f. 71 v.

¹⁰⁰⁾ Ibid. 1471 fol. 21, 1472 f. 70 v.

ca. grs. Joannem Rzeszowski de Krasiczyn et Przybyszówka¹⁰¹); 1498 n. Mathiae Szamowski dioec. eiusd. ca. Andream vicarium in Krasnystaw¹⁰²) e. a.

Ex Camenecensi dioecesi: 1458 episcopi Camenecensis Nicolai contra n. Domarad de Szarajewka (Scharawka) dioec. eiusdem¹⁰³); 1460 eiusdem ca. eundem¹⁰⁴); e. a.

Ex Luceoriensi: Mathiae et Nicolai civium Vilnensium contra episcopum Luceoriensem Joannem¹⁰⁵); 1503 iurispatronatus ecclesiae parochialis in Suchożebry¹⁰⁶); 1518 similiter ecclesiae in Jabłonna¹⁰⁷).

Obtento privilegio legationis natae primas Joannes Łaski dilatandae iurisdictioni suaे iudicali adlaboravit. Quae res post aliquot tractatus cum capitulo Gnesnensi habitos, in synodo Lan- ciensi a. 1522 vertebatur, ubi eidem concessum est, ut etiam in prima instantia causas dioecesum suffraganearum audiret, ea conditione, ne causas eiusmodi extra dioecesim partis reae, qui- busdam casibus exceptis, cognoscendas committeret, nisi partes per se audire vellet. Ubi etiam constitutum est, ut legatus ultra ius commune ubiores facultates a Sede Apostolica impetraret, saltem absolvendi clericorum, exceptis episcoporum, percussores. Ceterum placuit synodo, ut prius de Cantuariensis legati facul- tatibus certior fieret. Quarum cum notitiam nec Joannes Łaski nec successores eius sibi procuravissent, in synodo Petricoviensi a. 1542 primas Petrus Gamrat legationis iurisdictione secundum ius commune se usurum esse promisit¹⁰⁸). Sic factum est, ut

¹⁰¹ Ibid. 1493 f. 128 v, 1494 f. 2, 1495 f. 39 v sq., 1496 39 v et passim.

¹⁰² Ibid. 1498 fol. 30.

¹⁰³ Ibid. 1458 fol. 54 v, 78.

¹⁰⁴ Ibid. 1460 fol. 66.

¹⁰⁵ Ibid. 1492 fol. 85.

¹⁰⁶ Ibid. 1503/04 f. 9 v.

¹⁰⁷ Ibid. 1518/19 fol. 69 et passim. — Exempla supra allegata ex excerptis ante aliquot annos nobis obiter factis protulimus, cum Ulanowski, Acta capitulorum etc. huiusmodi causarum minime rationem fecerit. Quovis autem anno aliquot causae appellativaæ ex altera provincia in constistorio Gnesnensi agebantur.

¹⁰⁸ Łaski Joannes, Statuta nova inclitae provinciae Gnesnensis, Cracovia 1527; Chodyński et Likowski Ed., Decretales Summorum Pontificum pro Regno Poloniae, t. 1, p. 240; Likowski H., Powstanie godności prymasowskiej 1. c. p. 263 sq.; Korytkowski, Arcybiskupi gnieźn. t. 1, p. 122 sq.

nulla amplior foro eorum iurisdictio accesserit praeter illam, quae in synodo anni 1522 ad mentem canonum eis concessa erat. Statutum vero memoratum synodi Lanciensis insertum est etiam posterioribus collectionibus constitutionum synodalium, videlicet Carncoviana a. 1579 et Gembianae, decreto primatis Joannis Węzyk a. 1629 editae et a. 1761 reimpressae.

Instituto vero a nuntio apostolico Vincentio Laureo a. 1578 Tribunali Nuntiaturae iurisdictio primatis et legati nati magnum passa est detrimentum, ubi causae appellationum potius ad tribunal illud deferrentur. Saltem vero absente nuntio archiepiscopi Gnesnenses, sicuti adhuc Joannes Węzyk a. 1636 et Mathias Łubieński a. 1646, pleno iuris sui usu fruebantur. Postquam autem nuntii e Regno Poloniae cedentes internuntios, nonnunquam laicos, loco sui posuerunt, gravissimae exinde exortae sunt dissensiones et quaerelae, praecipue ex parte ipsorum primatum, qui tunc legationis suae (primatiae) officio libere fungi volebant, ipsis regibus ac antistitibus ea in re iuvamen eis praestantibus e. gr. tempore primatis Andreae Olszowski, cuius iussu in adiutorium iuris eius tunc notus ille „De archiepiscopatu Gnesnensi“ liber exaratus publicatusque est (1673). Causas vero criminales papa Urbanus VIII brevi suo de d. 5. I. 1634 ita ordinavit, ut in tertia instantia ad tribunal nuntii, in reliquis, etiam in secunda a foro metropolitani tamquam ordinarii loci, ad Signaturam iusticiae vel ad iudices in partibus constitutos deferrentur. Quo in decreto forum primatis et legati nati quoad causas criminales omnino praetermissum est¹⁰⁹⁾. Adhuc tamen anno 1814 Ignatius Raczyński, archiepiscopus Gnesnensis, iure suo legationis natae (vel potius primatiae) fultus causam matrimonialem nobilis Szołdrski in tertia instantia dijudicavit, quam rem Curia Romana silentio acceptavit¹¹⁰⁾.

Quamvis archiepiscopis Gnesnensibus nullatenus unquam ius visitandi provinciam Leopoliensem competitivisse videtur, nihilominus tamen ex auctoritate sua primatiali bono totius ecclesiae Polonicae prospicientes etiam istius provinciae profectus curam habebant. Sic anno 1529 desolata pastore dioecesi Camenecensi nulloque tunc temporis calamitatum illis in partibus

¹⁰⁹⁾ Węzyk Joannes, *Synodus provincialis Varsaviensis* a. 1634, Cracoviae 1636, fol. E 3.

¹¹⁰⁾ Archivum Curiae Archiep. Gnesn., *Acta postcurialia D 8*, p. 535 sq.; Korytkowski l. c. p. 138 sq.

intercidentium existente capitulo cathedrali, quod ad canonicam electionem episcopi procederet aut legitimi dioecesis administratoris, archiepiscopus Gnesnensis Joannes Łaski ex primatiali et legationis suae auctoritate Leopoliensi metropolitano serio mandavit, ut citra ullam de iure suo ambiguitatem dioecesim illam sibi suffraganeam visitaret fidelibusque de necessariis cultus divini sacramentorumque administrationis obsequiis prospiceret, donec a Sede Apostolica de novo pastore dioecesi illi provide-retur¹¹¹⁾). Similiter in synodo Petricoviensi a. 1577 primas Jacobus Uchański tuendam rem ecclesiae catholicae in Sambiensi et Pomesaniensi dioecesibus, in ducatu Prussiae constitutis, haeresi lutherana autem labefactatis, expresso super hoc statuto synodi eiusdem decreto suscepit¹¹²⁾.

Prius autem quam causae appellativae ad forum primatis deferri coepiae erant et iam ante obtentam ab archiepiscopo Nicolao Trąba in concilio Constantiensi primatialis eius praerogativa declarationem titulique ipsius concessionem antistites provinciae Leopoliensis interdum synodis provincialibus (primatibus) ecclesiae Gnesnensis interfuerunt, Vladimiriensis scilicet episcopus Gregorius Wielunensi a. 1406 et ipse Leopoliensis metropolita Joannes Rzeszowski Unieiovensi synodo anno

¹¹¹⁾ Ułanowski, *Acta capitulorum necnon iudic. eccl.* vol. 2, nr. 810 „...quia nobis ex praescripta antiqua consuetudine iure primatiali et natae legationis nostrae incumbit, ut ex dispositione canonum ob valde remotum iter ad Curiam Romanam.... praesertim Thurcarum imperatore Christianas has partes invadente.... provideamus, ne interim vacante illa Camenecensis ecclesiae sede administratio spiritualium et temporalium ecclesiae illius negligatur.... Quapropter cum non sint, qui illius ecclesiae nomine capitulum iure praesentare possent, quique ob hoc vocandi essent, ut illius viduatae et suo pastore destituae ecclesiae cum capitulo sic, ut ius est, consultum esset, unus enim aut ad maximum duo canonici in dioecesi illa vix reperiri verisimiliter possent.... idcirco Paternitatem vestram hortamur, ut saltem iure suo metropolitico ecclesiam dioecesimque illam hoc potissimum necessitatis tempore visitet.... in eventum autem, quando ambiguitate aliqua ad hoc exequendum se crederet impeditam esse, nos ea, qua in his regni Poloniae provinciis primatiali et natae legationis auctoritate Dei et Apostolica gratia fungimur, Paternitatem vestram ad visitandum illam viduatam ecclesiam.... visitatorem et commissarium decernimus et deputamus sibique tenore praesentium committimus, ut.... visitet”....

¹¹²⁾ Ułanowski, *Materiały do historii ustawodawstwa synodalnego w Polsce w w. XVI*, Archiwum Komisji Prawniczej, t. 1, p. 501.

1414¹¹³⁾). Num vero iam circa annum 1406 inter Vladimiriensem, episcopum eiusque metropolitanum dissensiones illae intervenerint, propter quas a. 1418 magnus dux Lithuaniae Witoldus apud Sedem Apostolicam contra praesumptam, ut aiebat, iurisdictionem metropolitani iustius protestationem fecerat novam pro terris suis metropolim fundaturus atque archiepiscopum Gnesnensem causae cuiusdam illius arbitrum deputari petiverat, non constat¹¹⁴⁾). Quibus tamen factis cognoscitur illa ex parte iuri primatiali sedis Gnesnensis pergratum accessisse fomentum. Ipse vero episcopus Gregorius constitutionibus synodi illius minime subscrisperat, ideo forte, quod dioecesim eius nondum poterant concernere; nec aliqua in iisdem constitutionibus eius mentio facta est, quamvis ipsum synodo illi interfuisse aliunde prorsus constet. Quodsi deinde in posterioribus synodis provinciae Gnesnensis usque ad a. 1483 acquidem in earum constitutionibus nullus ex antistitibus alterius provinciae inter praesentes nominatim afferatur, nil inde evenire appetat, utrum aliquis eorum synodo interfuerit necne. Ceterum de praesentia antistitum in synodis illius temporis parum comperti habemus. Synodo Lanciciensi a. 1422 (24. VII), ubi extraordinariae contributionis a papa Martino V regi Vladislao concessae negotium tractabatur, secundum aliquos auctores totius Poloniae antistites interfuerunt, ipsis relationi Joannis Długosz innitentibus, qua contributio illa „ab universa Polonica ecclesia“ regi denegata esse fertur¹¹⁵⁾). Res tamen dubio non caret, cum eodem loco Długosz perhibeat contributionem recusatam esse habita deliberatione archiepiscopi Gnesnensis Nicolai cum aliis episcopis „provincialibus“; nisi forte primatialis hic intellegenda est provincia.

Quomodo autem factum sit, cur antistites provinciae Leopoliensis synodos Gnesnenses adirent, facile appetat. Sicuti enim a. 1414 negotium concilii Constantiensis mittendaeque delegationis ecclesiae totius Poloniae metropolitano Leopoliensi causam praebuerit adeundi synodus provincialem Unieoviensem, a Gnes-

¹¹³⁾ Cf. supra. — De synodis provinciae Gnesnensis tractat novissime Morawski, *Synod prowincjonalny prowincji gnieźnieńskiej w dawnej Polsce*, Ateneum Kaplańskie 1935, z. 202, 204, 206, 207.

¹¹⁴⁾ Codex epist. t. 2, nr. 89.

¹¹⁵⁾ Hist. Pol. t. 4, p. 288, cf. p. 333. — Abraham, Najdawniejsze statuty synodalne archidiecezji gnieźnieńskiej, *Studia i materiały do historii ustawodawstwa synodalnego w Polsce* nr. 6, Kraków 1920, p. 44; Kłapowski, *Działalność biskupa Wojciecha Jastrzębca*, p. 56 sq.

nensi archiepiscopo convocatam sic et posterius gravissima negotia bonumque ecclesiarum utriusque provinciae commune, tum minus fausta Leopoliensis inter schismaticos constitutae conditio arctiorem eius cum Gnesnensi appetendam coniunctionem suadebant. Qua in re vix alicuius momenti fuerunt contributiones cleri pro necessitatibus Regni Poloniae saepius demandatae et concessae, cum Leopoliensis provincia ab illis ex recepta consuetudine immunis fuisse neque ad onus illud suscipiendum omnino prona, quod manifesto patet ex exceptione eius in synodo (primatiali) Lanciciensi a. 1527 interposita, ubi a primate Joanne Łaski, ut etiam ea in re Leopoliensis „ecclesiae Gnesnensi primatiali sese conformaret“, postulatum est¹¹⁶⁾. Aderant autem et alia gravissimi argumenti negotia atque imprimis defendendi iura et immunitatem status clericalis contra statum nobilium. Habenda erat etiam ratio plurimorum nobilium ex diversis Regni partibus ad terras Russiae undequaque confluentium ibique bona terrestria possidentium, tum cleri, qui minus large dotatus ex concesso indulto pro sublevanda honestiore sui dotatione, ipsis antistitibus minime exceptis, canonicatus, parochias aliasque praebendas etiam infra Gnesensem provinciam obtinebat. Quae res ipsae iam coniunctiorem illarum partium ad Gnesensem ecclesiam efficiebant aggregationem iusque earum particulare iuri huius provinciae conformandum suadebant. Quo factum est, ut anno 1440 provincia Leopoliensis constitutiones synodales ecclesiae Gnesnensis suscepit¹¹⁷⁾; quibus vero semel susceptis etiam novis in posterum sanciendis statutis abrogandisque vel immutandis antiquis omnino interesse communique consilio iis adlaborare oportuit. Neque id praetermittendum est paulo post annum illum 1440 appellaciones ex ista provincia ad forum primatis coptas esse deferri. Per aliquot tamen annos etiam tunc provincia Leopoliensis synodis Gnesnensis metropolis non videtur interfuisse, quae synodi autem praeter Lanciciensem anni 1459 (17. VI), ubi gravioris momenti

¹¹⁶⁾ Ulanowski, Materiały do historii ustawodawstwa synodalnego w Polsce w w. XVI, Archiwum Komisji Prawniczej t. 1, p. 375 sq.

¹¹⁷⁾ Abraham, Kilka szczegółów o synodach lwowskich z wieku XV, Gazeta Kościelna, Leopoli 1908, nr. 44, p. 522 sq. Haud immerito autor receptionem constitutionum synodalium ecclesiae Gnesnensis in provincia Leopoliensi cum introductione iuris civilis Polonici anno 1435 in terris Russiae factae quodammodo coniunctam esse arbitratur.

statuta quaedam decreta sunt, plerumque propter contributiones regales cleri convocatae erant. Sed etiam de iis, qui illus temporis synodis interfuerint antistites, parum ad nos pervenit notitia.

Memorato anno 1440 synodum Lancensem in diem 15 Octobris convocatam forte episcopus Camenecensis adierat, exacta vero synodo ad Posnaniensem antistitem Andream Bniński perrexit, qui gravissimis extirpandaे Hussitarum haeresis occupatus negotiis Lanciciam non convenerat, sed tandem pro die Dominica 13 Novembbris ad ecclesiam suam cathedralem revertit, ubi deinde abiurationi haeresis istius a iudice Posnaniensi Abraha de Zbarszyn ac patruei eius Abraha de Kęblowo factae praelibatus episcopus Camenecensis adfuit¹¹⁸⁾.

„Generalis“ dicitur in actis capituli Posnaniensis synodus Wolboriensis a. 1464, ab electo Gnesnensi Joanne Gruszczyński confirmationis suae nuntio accepto convocata, cui tamen qui interfuerint, non satis constat¹¹⁹⁾.

Synodo autem Petricoviensi a. 1485 interfuerunt, a primate Sbigneo Oleśnicki vocati, per procuratores suos archiepiscopus Leopoliensis ac suffraganei eius Premisliensis, Chelmensis, Luceoriensis et Camenecensis, tum etiam Culmensis, tum temporis nondum iure metropolico Gnesnensi sedi subditus. Qua in synodo salubria quaedam statuta sancita sunt, quae deinde posterioribus iuris synodalibus ecclesiae Regni Poloniae collectionibus inserta sunt¹²⁰⁾.

Quoniam vero abhinc synodi provinciae Gnesnensis persaepe, interdum quovis vel altero anno celebrabantur — annis 1485—1532 circiter triginta — maxime vero propter contributiones regales a clero praestandas, nonnullae vero parvi momenti, haud mirum est, quod primates ad synodos suas alterius provinciae

¹¹⁸⁾ Ulanowski, *Acta capitulorum necn. iud. eccl.* vol. 2, nr. 1102. Episcopum Posnaniensem Andream synodo tunc non interfuisse patet ex eius itinerary (Acta episcopalia vol. I). Quodsi in actis capituli Gnesnensis atque in litteris primatis ad Cracoviensem episcopum d. 12. VII. 1440 datis de synodo cum episcopis „provincialibus“ celebranda mentio fit, nihil refert (cf. Korytkowski, *Arcybiskupi gnieźnieńscy* t. 2, p. 169; *Codex epist.* t. 1, 1 p. 149).

¹¹⁹⁾ Ulanowski, *Acta capitulorum* vol. 1, nr. 582, 586; Korytkowski o. c. t. 2, p. 323.

¹²⁰⁾ Karnkowski St., *Constitutiones synodorum metropolitanae ecclesiae Gnesnensis provincialium*, Cracoviae 1579, fol. 62.

antistites nonnisi gravioribus ex causis vocaverint ad statuenda quaedam pro commodo totius ecclesiae Polonicae. Ab eo tempore discerni possunt synodi provinciales Gnesnenses stricto sensu et aliae sensu latiore sive primatales, nonnunquam generales vel totius Regni Poloniae synodi dictae. Qui terminus synodi primatialis interdum in actis occurrit, e. gr. in constitutionibus synodorum Petricoviensium a. 1556¹²¹⁾ vel a. 1589, ubi constitutum est, ut „synodus primatialis“ tertio quoque anno celebraretur¹²²⁾. In litteris vero convocatoriis primatum, tum in actis synodalibus ac etiam in litteris apostolicis eiusmodi synodi communiter provinciales Gnesnenses appellabantur, quamvis nonnunquam etiam in litteris Summorum Pontificum e. gr. Leonis X d. 14. XI. 1513 quasdam constitutiones synodales anni 1511 confirmantis, terminus „provincialis et primatialis synodi Gnesnensis“ adinveniatur¹²³⁾, in aliis autem expresse additum sit earum decretis episcopos, clerum populumque totius Regni Poloniae obstringi, utpote in litteris papae Pauli V d. 6. X. 1608¹²⁴⁾ vel Urbani VIII d. 22. VII. 1629¹²⁵⁾ et 20. IX. 1635¹²⁶⁾.

Ultimam vero synodum Varsaviae a. 1643 celebratam papa Urbanus VIII, quondam nuntius in Polonia, in litteris suis d. 23. VII. 1644 ad archiepiscopum Gnesensem datis, vocat „synodum nationale praesulum latinorum Regni Poloniae, cuius ipse primas existis“¹²⁷⁾.

¹²¹⁾ Ulanowski, Materiały do hist. ustawod. synod. XVI w., p. 427 sq.; Korytkowski, Arcybiskupi gnieźn. t. 3, p. 202 sq.

¹²²⁾ Korytkowski l. c. p. 470.

¹²³⁾ Theiner, Vet. Monum. Pol. et Lith. t. 2, nr. 372; Fijałek, Pierwszy synod prowincjonalny prymasa Jana Łaskiego w Piotrkowie, Księga pamiątkowa ku czci Wł. Abrahama, Lwów 1930, t. 1, p. 25.

¹²⁴⁾ Maciejowski Bern. card., Concilium provinciale Regni Poloniae a. 1607, Cracoviae 1630, fol. (2v): „...ut quodsi decreta omnia, quae ad sacrorum canonum praescriptum omnes istius Regni episcopos... obstrin-gunt, ab omnibus serventur“.

¹²⁵⁾ Wężyk J., Synodus provincialis Gnesnensis provinciae.... Petricoviae a. 1628 celebrata, Cracoviae 1629, fol. (2v): „a clero Regni Poloniae ad Nos pro praesenti confirmatione obtinenda missum...“, quamvis in iisdem litteris synodus ab archiepiscopo Gnesensi eiusque episcopis comprovin-cialibus celebrata esse dicitur similiter:

¹²⁶⁾ Idem, Synodus provincialis Varsaviae d. 13. XI. 1634 celebrata, Cracoviae 1636, fol. (2v).

¹²⁷⁾ Rykaczewski, Relacje nunciuszów, t. 2, p. 285.

Primiales erant forte omnes synodi „provinciales Gnesnenses“ ab anno 1485 celebratae, indubiam tamen eius rei notitiam hae praebent: Lanciensis a. 1503, cui languescente ad mortem primate card. Friderico Jagiellonide Leopoliensis metropolita Andreas Boryszewski loco eius praesedit¹²⁸⁾, deinde Petricoviensis a. 1510—1511¹²⁹⁾, tum Lanciensis a. 1527, quod patet ex eius decretis utramque metropolim obligantibus¹³⁰⁾, Petricoviensis a. 1542 („generalis“¹³¹⁾, Lanciensis a. 1547¹³²⁾, Petricoviensis a. 1551¹³³⁾, denique ceterae omnes synodi ab anno 1556 usque ad ultimam a. 1643 Varsaviae celebratam¹³⁴⁾.

Quibus synodis primatialibus seu, ut eas Stanislaus Hosius appellavit „synodis Regni provincialibus“¹³⁵⁾ praeter antistes utriusque provinciae Gnesnensis et Leopoliensis una cum abbatibus capitulorumque delegatis etiam Inflantenses seu Vendenses ac Smolencenses episcopi, interdum quoque paelati ritus graeci, utpote Kijoviensis metropolita a. 1634 vel archimandrita Vilnensis a. 1643 interfuerunt¹³⁶⁾. Inflantensis episcopus Otto Schenking in synodo Petricoviensi a. 1621, nullo ut asseverabat episcopo subiectus, libere Gnesnensem archiepiscopum pro metropolitano elegit¹³⁷⁾ ex eoque tempore successores eius

¹²⁸⁾ Nowacki J., Arcybiskup gnieźn., Janusz, p. 79 adnot. 37.

¹²⁹⁾ Ulanowski, Materiały o. c. p. 347; Fijałek o. c., p. 4.

¹³⁰⁾ Ulanowski o. c., p. 365—378; Łaski J., Statuta nova; Korytkowski o. c., p. 687 sq.

¹³¹⁾ Ulanowski o. c., p. 387; Acta consist. Gnesn. 1545 fol. 73v.

¹³²⁾ Ulanowski, Acta capitulorum saec. XVI selecta vol. 1, 1, Acta hist. res gest. Pol. illustr. t. 13, Cracoviae 1908, nr. 276: „ad generalem et provincialem synodus Lanciciensem“.

¹³³⁾ Ibid. nr. 1001: „in prox. praeterita synodo generali“.

¹³⁴⁾ Ibid. nr. 470, 936, 1144; Idem, Materiały l. c. p. 427, 439, 456, 493 — cf. etiam typis impressas constitutiones illarum synodorum. — Korytkowski o. c. t. 3—4; Rykaczewski, Relacje nuncjuszów apostolskich i innych osób o Polsce 1548—1690, Berlin-Poznań 1864 t. 1, p. 19, 33 sq.; Kakowski Al., Congregatio synodalis totius provinciae Gnesnensis a. 1578, Petropoli 1913, p. 41.

¹³⁵⁾ Stanislai Hosii epistolae t. 2, Acta hist. res gest. Pol. illustr. t. 9, Cracoviae 1886, nr. 1902.

¹³⁶⁾ Wężyk J., Synodus prov. Varsaviae a. 1634 celebrata, p. (10); Lubieński Mth., Synodus prov. Gnesnensis provinciae.... Varsaviae d. 8. XI. 1643 celebrata, Varsaviae 1646, p. (10).

¹³⁷⁾ Gembicki L., Synodus prov. Gnesnensis provinciae.... Petricoviae d. 26. IV. 1621 celebrata, Cracoviae 1624, cap. 4.

synodis iisdem adfuerunt. Solummodo Varmienses episcopi, tunc immediate Sedi Apostolicae subditi, quamvis infra terminos Regni constituti, primatales synodos archiepiscoporum Gnesnensium minime adibant, excepto Stanislao Hosio, qui pio ductus zelo et tamquam ad concilium Tridentinum a Regno delegatus eiusque praesidens, facta tamen protestatione super exemptione sua a iure primatis Gnesnensis, in synodis a. 1551 et 1556 personaliter comparuit¹³⁸⁾. Frustra tamen primas Laurentius Gembicki in synodo Petricoviensi a. 1621 episcopum Varmensem compellere conatus est, ut si non iure subiectionis, saltem electionis synodos antistitum Poloniae frequentaret¹³⁹⁾. Similiter Culmenses episcopi, stante metropoli Rigensi, minime synodis Regni Poloniae interesse festinaverunt, tandem post a. 1577 metropolitano Gnesnensi subditi easdem frequentabant.

Convocabant autem huiusmodi synodos iisque praesidebant ipsi archiepiscopi Gnesnenses neque in iis rebus, quae iuris eorum primatialis erant, ulli suffraganeorum in cardinalitia constituto dignitate cedebant, utpote a. 1589 Stanislaus Karnkowski praesente card. Georgio Radziwiłł, episcopo Vilnensi, qui tamen de iure primum inter assistentes locum obtinuit¹⁴⁰⁾. Ipso primate impedito praesidebat antistes maior, sic a. 1503 archiepiscopus Leopoliensis¹⁴¹⁾, 1547 episcopus Cracoviensis¹⁴²⁾, 1578 ep. Vla-dislaviensis¹⁴³⁾. Praesente vero in Regno Poloniae nuntio apostolico primas ex mandato aut consilio et conniventia eius synodus convocabat¹⁴⁴⁾. In actis synodorum a. 1556, 1561 et 1577 nuntius et primas praesedisse referuntur¹⁴⁵⁾. In antistites nulla legitima interveniente causa comparere negligentes primates multas infligebant pro fabrica ecclesiae Gnesnensis convertendas, quod

¹³⁸⁾ H o s i i St., Epistolae t. 2, nr. 621, 435, App. 54; U l a n o w s k i, Materiały do hist. ust. synod. XVI w., p. 438.

¹³⁹⁾ G e m b i c k i, Synod prov. Petricov. 1621, cap. 4. — Quoad Luceo-rienses episcopos (prov. Leopol.) vid. A b r a h a m in Kwart. Hist. LI, 141 ssq

¹⁴⁰⁾ K a r n k o w s k i St., Constitutiones et decreta condita in provinciali synodo Gnesnensi.... Petricoviae 1589, Pragae 1590, p. 6.

¹⁴¹⁾ Cf. supra adnot. 128.

¹⁴²⁾ K o r y t k o w s k i, Arcybiskupi gnieźn. t. 3, p. 149 sq.

¹⁴³⁾ K a k o w s k i o. c. p. 41.

¹⁴⁴⁾ Cf. U l a n o w s k i, Materiały o. c. p. 439; R y k a c z e w s k i, Relacje nunciuszów, p. 19, 89.

¹⁴⁵⁾ U l a n o w s k i, Materiały o. c. p. 427, 456, 493; K a r n k o w s k i, Constitutiones synodorum.... usque ad a. 1578, fol. 164.

ius eorum latius in constitutionibus synodi Petricoviensis a. 1557¹⁴⁶⁾ et 1589¹⁴⁷⁾ expressum atque etiam collectioni Gembicianaæ a. 1621 (ed. 1630 et 1761) insertum est¹⁴⁸⁾. Decreta vero a Sede Apostolica correcta et confirmata archiepiscopus Gnesnensis Leopoliensi certe risque Regni antistitibus cleroque auctoritate sua primatiali promulgabat eosque ad observanda statuta obstringebat. Ordo sedendi competitbat singulis episcopis iuxta prioritatem s. maioritatem sedium stricteque semper observabatur, cui etiam ordo eorum in senatu Regni Poloniae respondebat, salva tamen praecedentia cardinalis.

Post annum 1643 nulla iam celebrata est synodus provincialis seu primatialis Gnesnensis, primas tamen Vladislaus Łubieński a. 1761 novam Gembicianaæ statutorum collectionis editionem seu reimpressionem fieri procuravit. Loco vero synodorum persaepe conventus episcoporum iam a retroactis temporibus ex consuetudine recepta praeidente primate celebrabantur.

Quibus privilegiis, iurisdictione et auctoritate sua primatiali archiepiscopi Gnesnenses, dum stetit antiquum Regnum seu Res publica Poloniae, continuo fruebantur. Quodsi aliquando, utpote exeunte saeculo XVI a nobilibus „dissidentibus“ inter trubidas non-nunquam altercationes generaliter quidquam contra eorum primatum attemptatum est, contra amplissima eorum privilegia politica tamquam primorum principum et inter regum primatumque in senatu Regni tenentium gestum est ac ius eorum denominandi et coronandi novi regis, quod etiam ex parte regum comitiorumque iis reservatum erat¹⁴⁹⁾. Quae privilegia in auctoritate eorum ecclesiastica, tamquam primatum ecclesiae totius Regni, fundata sic breviter commemorata esse sufficiat.

Ad ostendendum splendorem externum eximiae dignitatis suae, cui etiam quasi regalis in statu civili Reipublicae respondebat auctoritas singularibus dotata praerogativis, fruebantur archiepiscopi Gnesnenses privilegiis quibusdam honorificis, a Sede Apostolica concessis, ac quidem praecipue usus vestimenti pur-

¹⁴⁶⁾ Karnkowski, Constitutiones synodorum prov. Gnesn., fol. 31v sq.

¹⁴⁷⁾ Karnkowski St., Constitutiones et decr. synodi Petric. 1589, p. 15: Archiep. Gnesn. Primatis solius munera.

¹⁴⁸⁾ P. 331 sq. resp. 333 sq. — Cf. relationem nuntii apostolici Aloisii Lippomano de synodo primatiali a. 1556 (Rykaiewski, Relacje nunciuszów t. 1, p. 35).

¹⁴⁹⁾ Cf. Olszowski A., De archiepiscopatu Gnesnensi; Korytkowski, Arcybiskupi gnieźn. t. 1, p. 126 sq.

purei ad instar cardinalium et crucis primatialis in toto Regno ante eos elevatae deferenda. Quorum usus ex antiqua consuetudine iam ante obtentum a Sede Apostolica privilegium anni 1749 viguisse perhibetur, utriusque forte a tempore obtentae legationis natae, quamvis nihil accuratius ea de re ex fontibus desumi possit.

De antiquo usu vestimenti purpurei capitulum Gnesnense in litteris suis d. 17. V. 1741 ea de re ad Sedem Apostolicam sese referendo testatur, cuius praerogativa confirmationem pro persona sua primas Christophorus Szembek (1739—1747) obtinuisse fertur¹⁵⁰⁾. Ipse quoque nuntius apostolicus Galeazzo Marescotti in instructione sua pro futuris in Regno Poloniae nuntiis circa a. 1670 descripta archiepiscopum Gnesnensem vestimentis rubei coloris uti refert¹⁵¹⁾.

Quod crucis primatialis usum attinet, archiepiscopos Gnesnenses, obtento iam a. 1207 a papa Innocentio III privilegio crucis¹⁵²⁾, acquisita postea iurisdictione primatiali et legationis natae in provinciam Leopoliensem eodem vexillo crucis primatialis in toto deinde Regno Poloniae usos esse verisimile est. Vix autem ea de re e fontibus saec. XV et XVI quidquam decerpere potest, ubi solummodo inter eorum familiares etiam cruciferorum mentio fiat. Nuntius tamen Marescotti in praedicta instructione sua circa a. 1670 archiepiscopos Gnesnenses cum cruce gestatoria, sicuti legatos, etiam nuntii apostolici aedes, arce tamen regali excepta, intrare perhibet¹⁵³⁾. Eius quoque praerogativa expressam concessionem primas Adam Komorowski privilegio Papae Benedicti XIV „Ad decorum Ecclesiae“ de d. 1. X. 1749 obtinuit. Quo privilegio Summus Pontifex archiepiscopis Gnesnensibus et primatibus vestimentis purpureis ad instar cardinalium, absque rubeo pileo, ac cruce ante eos erecta „ubique locorum“, etiam coram nuntio apostolico in Regno Poloniae constituto, solis aedibus regiis ex-

¹⁵⁰⁾ Korytkowski o. c., p. 125.

¹⁵¹⁾ Cf. inferius.

¹⁵²⁾ Cod. Dipl. Maior. Pol. nr. 62; Umiński, Henryk arcybiskup gnieźnieński zwany Kietliczem (1199—1219), Lublin 1926, p. 46.

¹⁵³⁾ Kakowski Al., Vademecum pro nuntiis apostolicis in Polonia, Petropoli 1912, p. 49: „Monsignor Arcivescovo di Gnesna, come Primate del Regno e Legato Nato, tiene gran posto, veste a suo piacere di rosso, come gli Cardinali, ma con beretta nera (bensì il berettone e paonazzo o rosso) fa avanti la sua carozza e persona portar la Croce Archieple, come li Legati, e la fà entrare fino alla stessa camera di audienza del Nunzio, anzi stesso Rè...“

cepsit, uti indulsit, salva tamen eiusdem nuntii praecedentia, nisi ipse primas in cardinalitia constitutus esset dignitate¹⁵⁴⁾.

Tenor denique tituli primatalis, decursu temporum variationi cuidam obnoxius, ab a. 1418 usque ad finem saec. XV breviter „primas“ scribebatur („archiepiscopus Gnesnensis et primas“). Ab ineunte saeculo XVI, primum forte a. 1501¹⁵⁵⁾, paulatim in consuetudinem venit titulus „Primatis Regni Poloniae“, cui ab a. 1515 accessit titulus „legati nati“, deinde tempore archiepiscopi Jacobi Uchański (1562—1581) etiam „primi principis“. Venceslaus Leszczyński a. 1668 etiam titulum primatis Magni Ducatus Lithuaniae assumpsit idque respectu attemptati eiusmodi tituli ab episcopo (sic) Vilnensi. Ex eo tempore plenus tenor tituli hic erat: „...Sacrosanctae Metropolitanae Ecclesiae Gnesnensis Archiepiscopus, Legatus Natus, Regni Poloniae Magnique Ducatus Lithuaniae Primas Primusque Princeps“. Saepius tamen, etiam in litteris Summorum Pontificum, antistes Gnesnensis breviter „Primas Poloniae“ intitulabatur, v. gr. 1513 a Leone X vel 1756 a Benedicto XIV (Harduin IX, 1660; Theiner, o. c. IV, p. 145). Adloquendo vero primatem in litteris aut sermone utebantur plurimi titulo „Celsissime Princeps“¹⁵⁶⁾. Redacta Maiore Polonia una cum civitate Gnesnensi a. 1793 sub potestatem Borussicam usus tituli primatalis archiepiscopis a gubernio civili prohibitus erat, quare ipsi, solo legatorum titulo contenti, nonnunquam tamen infra Ecclesiam dignitatis et tituli sui primatalis praerogativam vindicantes eodem utebantur, e. gr. archiep. Miecislaus Ledochowski in actis Concilii Vaticanii et in actis visitationis ecclesiarum utriusque suaे archidioecesis.

III.

Res primatiatus ecclesiae Gnesnensis a tempore dispartitionis antiqui Regni usque ad restitutionem Reipublicae Poloniae. 1793/95—1918.

1. 1793—1821.

Occupata ineunte anno 1793 ab exercitibus Borussicis Maiore Polonia una cum civitate Gnesnensi sedeque archiepiscopali ac

¹⁵⁴⁾ Korytkowski, Arcybiskupi gnieźn. t. 4, p. 588 sq.

¹⁵⁵⁾ Likowski, Powstanie godności prymasowskiej arcyb. gnieźn. I. c., p. 259. — Eodem tenore tituli utitur papa Julius II a. 1508 (Archiv. capit. Gnesn., dipl. perg. nr. 580).

¹⁵⁶⁾ Korytkowski, Arcybiskupi gnieźn. t. 1, p. 133 sq.

etiam episcopalibus Posnaniensi, Vladislaviensi et Plocensi (a. 1772 etiam Culmensi et Varmiensi) sub potestatem Borussiae redactis, exorta est quaestio liberi exercitii tum ordinariae tum etiam metropolitanae ac primatialis iurisdictionis archiepiscopi Gnesnensis in eas partes, quae aut regi Stanislao Poniatowski remanserant aut a Russia Austriave a corpore Regni abreptae erant. Procul dubio et regis Stanislai et omnium bonorum intentionis erat conservandi circa omnia iura et privilegia ecclesiam totius gentis Polonae matricem, cuius praecipua auctoritate et praesidio iam aliquando, imprimis vero saeculo XII et XIII, dispertito pristino Regno in aliquot ducatus omnino independentes, unitas patrii Regni servata ac restituta erat. Quodsi nihilominus a. 1793 a rege Stanislao infaustisque comitiis Grodnensibus anni illius quidquam contra sedis Gnesnensis praerogativam primatiale, quamvis nullo subsecuto eventu, tamen attemptatum est, non aliter aestimandum est quam ipsius secundae terrarum Regni disreptionis „muto“ consensu a comitiis Grodnensibus praestita ratificatio, armorum vi, terrore, pecunia hostium extorta, vel nova illa residui Regni Poloniae constitutio ab iisdem elaborata eique simili modo inculcata.

Ratificato in praelibatis comitiis cum imperio Russico die 22. VII. 1793 tractatu secundae disreptionis corporis Regni res deinde de ratificatione tractatus cessionis terrarum cum Borussia diutius agebatur, cui tamen ex parte multorum bonorum omnimoda cum resistentia repugnabatur. Cum autem iuste metueretur, ne regnum Borussicum capta possessione Maioris Poloniae sedisque primatialis Gnesnensis ac confirmata archiepiscopo Michaëli Poniatowski libera facultate exercendae iurisdictionis suaee etiam extra fines ditionis Borussicae auctoritate eius primatiali ad consequenda ulteriora consilia sua abuteretur, oborta est inspirante nuntio apostolico Ferdinando Saluzzo ac Livoniensi episcopo Kossakowski causa separandae a sede Gnesnensi praerogative primatialis. Quae res deinde inter eosdem ac Russiae Borussiaeque ambassiatores ea mente vertebatur, ut praerogativa primatialis in novam sedem archidioecesis ex partibus Plocensis et Posnaniensis dioecesum constituendae transferretur. Quod cum rebus Borussiae omnino adversari videretur, primo regimini eius minime gratum fuit¹⁵⁷⁾. In actione diei 24. VIII. e. a. ab episcopo

¹⁵⁷⁾ Lehmann, Preussen und die katholische Kirche seit 1640, P. 7, Publ. d. Kgl. Preuss. Staatsarchive t. 56, Leipzig 1894, nr. 66.

Kossakowski propositum est delegato Borussiae v. Buchholtz, ut in ratificando futuro tractatu cessionis terrarum expresso caveretur articulo, ne in futurum archiepiscopus Gnesnensis, a rege Borussiae nominatus, titulo Primatis Regni Poloniae uteretur neque ullam ibi primatiale iurisdictionem exerceret, Regno vero Poloniae novae sedis primatalis erigendae omnimoda tribueretur facultas¹⁵⁸⁾. In dieta vero comitiorum Regni die 2. IX. h. a., ad propositionem quorundam patriae amantium, maioris partis decreto deputatis ad tractandum cum delegato Borussico commissum est, ut primas pro tunc existens circa omnes possessiones et preventus suos in Regno sitos ac liberam ibidem mansionem conservaretur¹⁵⁹⁾.

Ne tamen illo negotio separandi a sede Gnesnensi primatiatus ratificatio tractatus cessionis terrarum frustraretur, rex Borussicus die 13. IX. h. a. desuper consensum suum praebuit¹⁶⁰⁾. In ipso tamen tractatu cessionis die 25. IX. h. a. subscripto res separandae primatalis praerogativae sedis Gnesnensis prorsus praetermissa est, in articulo V. autem ecclesiae catholicae sub potestatem Borussicam redactae de „statu quo“ solemniter cautum est¹⁶¹⁾. Quodsi postea regimen Borussianum prohibendo archiepiscopis Gnesnensibus usum tituli primatalis ad predictum tractatum Grodensem provocabat¹⁶²⁾, opinio eiusmodi protinus omni carebat fundamento. Ceterum non fuit potestatis civilis privilegiis ecclesiasticis sedi Gnesnensi annexis quovis modo derogare.

In nova autem constitutione Regni Poloniae in iisdem comitiis laudata et a rege promulgata „Primas“ circa omnes suas praerogativas politicas, etiam interregis ac circa ius denominandi et coronandi reges conservatus est¹⁶³⁾. In statuto tamen de dotandis episcopatibus (23. XI.) archiepiscopus Michaël Poniatowski similiter circa omnes suas praerogativas primatales ad vitae tempora conservatus est, post eius tamen decessum primatiatus novae sedi archiepiscopali in eodem Regno erigendae, quam Sedes Apostolica primatali dignitate insigniret, tribuendus erat,

¹⁵⁸ Ibid. nr. 68.

¹⁵⁹ Wegner L., Sejm grodzieński ostatni, Poznań 1866, p. 154 sq., 158.

¹⁶⁰ Lehmann o. c., nr. 74.

¹⁶¹ Sejm Grodzieński r. 1793, P. 1, 37.

¹⁶² Lehmann o. c., nr. 186, 419.

¹⁶³ Sejm Grodzieński, P. 2: Prawa Kardynalne, p. 42–50, 64 e. a.

acquidem ecclesiae Cracoviensi. Duae etiam novae sedes episcopales erant constituendae, Varsaviensis et Pultuscensis, quarum antistibus rex pristinas in senatu sedes Posnaniensis et Plocensis episcoporum, tunc iam sub dititione Borussica existentium, reservari voluit¹⁶⁴⁾). Minime autem in praedicta constitutione rex intendit aut decrevit, ut sedes archiepiscopal is in civitate Varsaviensi erigeretur ipsaque primatiali dignitate decoraretur, ubi futuro episcopo eiusdem civitatis sine ulla ambiguitate solummodo Posnaniensis episcopi locum in senatu destinavit¹⁶⁵⁾.

Quae res cum ad Sedem Apostolicam deinde perlata esset, nullatenus exoptatum eventum sortita est neque etiam erectioni novorum episcopatum atque Cracoviensis ecclesiae ad metropolitanum gradum evectioni tunc satisfactum est, quamvis ipsum negotium omnino ex arbitrio Summi Pontificis penderet. Nec fuit Sedis Apostolicae, quae destructioni tanti regni catholici nunquam consensit, gravissimam iniuriam contra omne ius atque iustitiam genti Polonicae illatam nimia erga raptores terrarum eius liberalitate sancire dissolvendoque celerius antiquissima atque saluberrima ecclesiasticae eius structurae instituta in tanta temporum varietate eliberandae patriae spem eidem dimminuere. Ceterum iam proximi anni eventus memorato statuto consilioque separandi a sede Gnesnensi primatiatus omnem actualitatis vim ademerunt simulque manifestum fuit, quid ea de re ipse rex ac etiam Sedes Apostolica sentirent.

Demortuo inter turbinem insurrectionis anni sequentis primate Michaële Poniatowski (12. VIII.) gubernium Borussicum quam primum ad nominationem successoris eius procedendo a Sede Apostolica insimul, ut dignitas primatialis a sede Gnesnensi separaretur, petivit. Contra actus illos tamen minister Potocki ex parte Regni Poloniae in manus nuntii apostolici

¹⁶⁴⁾ Ibid. p. 234 sq. — Kwiatkowski Wł., Kwestia prymasostwa o. c., p. 10 sq., 31 sq., praefatum statutum quasi omnino ignotum et nunc demum ex actis in lucem vocatum publicavit commentoque illustravit, quamquam idem iam a. 1793 typis mandatum et publicatum erat.

¹⁶⁵⁾ Kwiatkowski o. c., p. 10—30 omnino errat praefato statuto civitatem Varsaviensem a rege Stanislawo Augusto futuram sedem primatialem istius Regni, quod ei relictum erat, designatam fuisse; id potius ad privatam, superius allatam propositionem nuntii et episcopi Kossakowski referendum est.

Varsaviensis protestationem obtulit ipsum archiepiscopatum non
viisque archiepiscopi et primatis nominationem pro
rege Poloniae vindicando. Quam protestationem Nuntius
acepit atque ad Curiam Romanam transmisit¹⁶⁶⁾. Unde negoti-
tium istud retardatum est, cum et Sedes Apostolica insurrectioni
faveret. Quod vero ipsam separationem primatiatus a sede Gnes-
nensi attinet, Sedes Apostolica ea in re minime gubernio Bo-
russico obsecuta est responsumque fuit eidem e Secretariatu Status
bona primatialia ab archiepiscopalibus esse separanda aliasque
regulas et cautelas solitas servandas priusquam Summus Pon-
tifex, cui soli ius aliquid ea de re statuendi competit, annexa sedi
Gnesnensi privilegia primatialia cassaret¹⁶⁷⁾. Secernendi autem
possessiones primatales ab archiepiscopalibus nulla prorsus erat
facultas aut ratio, cum omnia illa per ampla bona, etiam ducatus
seu castellania Loviensis, sicut iam capitulum Gnesnense die
14. I. resp. 29. I. 1795 demonstravit, ab antiquo ad archiepi-
scopos pertinuerint, priusquam titulo et iure primatiali insigni-
rentur („archiepiscopus alit primatem“¹⁶⁸⁾).

Demum suppressa insurrectione totoque iam Regno antiquo
ab invasoribus disrepto et diruto postulatus a Regno Borussico
interimque a capitulo Gnesnensi electus Ignatius Krasicki die
5. XII. 1795 a Summo Pontifice electionis suae confirmationem
asseculus est. Cui cum in bulla preeconisationis eius iuxta con-
suetudinem Curiae Romanae titulus primatialis non sit appositus,
minime tamen ipso facto a Summo Pontifice idem titulus ac
praerogativa primatalis ablata sunt. De structo antiquo
Regno Poloniae ac inter finitima regna diviso primatiatus
sedis Gnesnensis non actualis iam erat momenti ususque eius-
dem praerogativae ad faustiora suspensus erat tempora; insimul
statutum illud anni 1793 de erigenda nova sede
primatiali nullius factum erat valoris. Gubernium
vero Borussicum in instrumento nominationis regiae ad archi-
episcopatum Gnesensem provide titulum primatalem nominati
Ignatii Krasicki omisit usumque eius abhinc ei in hubuit animad-

¹⁶⁶⁾ Lehmann o. c. nr. 133, 164; similiter oblata erat protestatio
ministri Potocki contra nominationem praepositi Gnesnensis
a regimine Borussico factam.

¹⁶⁷⁾ Ibid. nr. 164; cf. nr. 170, 167.

¹⁶⁸⁾ Acta et decreta capituli Gnesnensis XXVII fol. 111v sq., 125 sq.

vertendo praerogativam et dignitatem eandem diruto Regno Poloniae extinctam nullumque infra limites ditionis Borussicae alium existere archiepiscopum, quem primatiatu antistes Gnesensis praecelleret. Concesserat autem ei titulum principis eam ob causam, quod stante Regno Poloniae antecessoribus eius competitivisset tamquam primatis eiusdem Regni eorumque sedi archiepiscopali annexus¹⁶⁹⁾. Quae interpretatio, potius sophistica dicenda, quovis solido caret argumento. Destructo enim antiquo Regno nostro exstincta, si cui placeret, aut saltem suspensa dicenda erant privilegia status politici, utpote interregis, primi principis praesidentisque senatus, minime tamen exstincta ipsa ecclesiastica dignitas et praerogativa primatialis, proprie ecclesiastici existens iuris, sedi archiepiscopali ex concessione confirmationeque Summorum Pontificum annexa. Vix unquam cui, dissoluto antiquo „Sacrosancto Imperio Romano Nationis Germanicae“ visum est denegare eandem dignitatem archiepiscopo Salisburgensi, qua etiam adhuc pacifice utitur.

Nitebatur quidem archiepiscopus Krasicki expressam dignitatis suae primatialis aut saltem generalem sedis suae privilegiorum confirmationem a Sede Apostolica obtinere¹⁷⁰⁾, cum tamen

¹⁶⁹⁾ Ibid. nr. 186, litterae ministri pro neg. externis ad regem Borussiae de d. 26. II. 1795: „Nomination zu dem vacanten Erzbistum Gnesen.... Wir haben... weggelassen, was die mit dem Erzbistum vereinigt gewesene Primaten-Würde betraf, indem diese sowohl wegen der im Cessions-Tractat stipulierten Absonderung der Primatie von dem Erzbistum als auch um desvillen von selbst wegfällt, weil kein polnisches Reich mehr existiert und keine Erzbischöfe, zumal unter preussischer Oberherrschaft mehr vorhanden sind, über welche die Primatial-Vorrechte ausgeübt werden könnten. Dahingegen aber hat der Fürsten-Titel beibehalten werden müssen, weil die jedesmaligen Erzbischöfe zu Gnesen sonst als Primaten des polnischen Reichs den Titel eines primi Poloniae principis geführt haben, ihnen auch derselbe in öffentlichen Urkunden beigelegt worden und nach Erlösung der Primatie als dem Erzbistum anhängend angesehen werden muss.“

¹⁷⁰⁾ Cf. Kwiatkowski o. c., p. 18 sq.; idem, Archiwum Archidiecezjalne Warszawskie, Wiadomości Archidiecezjalne Warszawskie 1936 nr. 5, ubi tamen ab auctore omnino praetermissum est Curiam Romanam in eiusmodi negotiis perficiendis nihil contra voluntatem regiminis Borussici eiusque residentis Romani, abbatis Ciofani, peregrinisse. Quodsi idem auctor concludit Sedem Apostolicam non obsequendo precibus archiepiscopi Krasicki erigendae tandem sedis episcopalnis vel etiam metropolitanae ac primatialis Varsaviensis iam tunc rationem habuisse, talis ratiocinatio haud ullius pensanda est momenti scientifici.

omnia negotia ecclesiastica per manus Borussici apud Curiam Romanam residentis transmittenda ab eoque expedienda essent¹⁷¹⁾), invito atque ea in re omnino contraveniente gubernio Berolinensi, nullum prorsus effectum sortiri potuit, quippe cum et Sedes Apostolica infestis tunc temporis in Gallia ipsaque Italia rebus subortis necessario alicui cum regimine Borussico conniventiae faveret, introducto autem in regno Borussico placeto regio in exsequendis quibusvis litteris Sedis Apostolicae nullum eiusmodi privilegium ad manus archiepiscopi Gnesnensis pervenisset. Quodsi Summus Pontifex primatialem praerogativam eius non confirmavit, minime tamen eam cassavit sicque res ista in „statu quo“ permansit.

Frustra etiam archiepiscopus Krasicki id tandem a gubernio civili obtinere conabatur, ut solus titulus „Primatis“ — omissis verbis „Regni Poloniae Magnique Ducatus Lithuaniae“ — sibi permitteretur¹⁷²⁾. Res primatiatus sedis Gnesnensis semper gubernio Berolinensi gravissimi fuit momenti summoque ipsum afficiebat metu atque cura ita, ut e. gr. in constituendis rebus pure ecclesiasticis renitendo omnino Sedis Apostolicae nuntium apud se recipere multo etiam magis augendae quovis modo actuali auctoritati atque iurisdictioni spirituali antistitis Gnesnensis utpote in causis fori ecclesiastici vel concedendis facultatibus Romanis omnino reluctaretur vel ne amplificata eius auctoritate insimul actualis infra regnum Borussicum Romani Pontificis auctoritas atque potentia augeretur, provide timeret¹⁷³⁾. Cuius rei inter alia praeclarum praebet argumentum secreta illa relatio ministerii pro negotiis externis ac departamenti „Borussiae Meridionalis“ die 16. III. 1797 ad cancellarium Goldbeck data. Quibus in litteris suadebatur, ut ad constituendas res ecclesiasticas in terris nostris summa cum providentia procederetur, ne abrogata nuntiatura apostolica Varsaviensi archiepiscopus Gnesnensis auctoritatem suam primatialem augeret ac praecipue extra fines ditionis Borussicae extenderet legationisque suaे natae iurisdictionem restitueret, unde liberae exercitioni „iuris regii circa sacra“ multo maius detrimentum emerget quam ex parte gra-

¹⁷¹⁾ Lehmann o. c. nr. 58, 237, 250, 255, 275, 376; cf. Granier, t. 9, nr. 971 sq. — Placetum regium aliaeque supradictae restrictiones a gubernio Borussico demum a. 1840 sublatae sunt.

¹⁷²⁾ Kwiatkowski o. c., p. 28.

¹⁷³⁾ Lehmann o. c., nr. 127, 304, 312, 325, 343, 353, 378, 393, 419, 608.

vissimae auctoritatis atque potentiae ipsius Sedis Apostolicae, unde etiam maximum oreretur momenti politici periculum¹⁷⁴⁾.

¹⁷⁴⁾ Lehmann o. c., nr. 419: „...über das Verhältnis des Erzbistums Gnesen zu den übrigen, besonders zu den neuen Bistümern.... über den Zug der Instanzen in Sachen geistlicher Jurisdiction.... den Einfluss des römischen Stuhls auf die katholisch geistlichen Angelegenheiten.... möglichst einzuschränken. Es werden sich auch dazu die Mittel leicht ausfindig machen.... lassen. Nur scheint uns bei der Anwendung dieser Mittel die grösste Aufmerksamkeit und Vorsicht anzuwenden nötig, dass nicht dassjenige, was man auf der einen Seite etwa gewinnen könnte, auf der andern wieder verloren gehe. In diesen Fall würde man aber unausbleiblich kommen, wenn man die Absichten und Pläne des Fürsten Erzbischofs zu Gnesen begünstigen oder befördern wollte. Diese gehen, wie solches bei den Departements aus unzähligen Datis und Demarchen dieses Prälaten bekannt ist, dahin, seine erzbischöfliche Autorität zu erweitern, seine Primatial-Autorität und die Autorität eines Legati nati herzustellen und allem auf den Ruinen der (übrigens mit allem Recht) abgestellten Warschauer Nuntiatur die grösste Ausdehnung und Festigkeit zu geben. Denn wenn es wider Verhoffen dem Erzbischof jemals gelingen sollte, diesen seinen Plan auszuführen, so würde es (1) um die Ausübung der königlichen Majestäts-Rechte circa sacra noch weit schlimmer stehen als bei einem sehr starken und sehr ausgebreiteten päpstlichen Einflusse, weil dieser bei seiner Entfernung noch immer eher abzuhalten und zu beschränken sein dürfte als der eines in der Mitte der königlichen Staaten befindlichen Geistlichen.... Ein übel gesinnter Erzbischof zu Gnesen und zumal mit vermehrter und erweiterter Metropolitan- und mit hergestellter Primatial-Autorität (die sich alsdann in Jurisdiction und in actibus ordinis allgemein nachteilig wirksam erweisen würde), äusserst gefährlich werden....“

(2) „....dem Erzbischof keine Erweiterung seiner Metropolitan-Rechte und keine Herstellung seiner Primatial-Rechte zu gestatten, da er vermöge beider eine geistliche Autorität in denjenigen Teilen des ehemaligen Polens, welche nicht dem preussischen Scepter unterworfen sind, prätendieren würde und es durch Vertrag zwischen den drei Mächten feststehen, dass die Landesgrenzen, welche das ehemalige Polen in drei Teile teilen, zugleich Diözesangrenzen sein sollen und also eben so wenig die Metropolitan-Rechte oder die Primatial-Autorität sich über die Landesgrenzen hinaus erstrecken können....“

„Dahingegen ergeben sich aus der bisher detaillierten Bewandtnis der Sache folgende Grundsätze:

1. Die neuen Bischöfe zu Wygry und Warschau werden als gänzlich unabhängig vom Erzbischofe angestellt, da ausser dem bereits Angeführten die Teilung der geistlichen Autorität ratsam und die besondere Controlle eines jeden einzelnen Bischofs teils durch die p. Kammern, teils durch den königlichen Residenten zu Rom sehr wohl einzurichten und zu erhalten ist.

Generaliter autem, cum res eligendi novi archiepiscopi Gnesnensis ageretur, rex Borussiae decreto suo de d. 6. III. 1795

Die Herstellung des Primatial-Gerichts ist eben so bedenklich als die Herstellung der Primaten-Würde unzulässig ist, wenn auch nur, wie der Fürst Erzbischof es unterschieden wissen will, von ihren geistlichen Rechten die Rede sein sollte“....

„....Daher denn die vom Papst auf Instanz des Erzbischofs ohne königliche Genehmigung geschehene Ernennung solcher Richter (scil. 3. instantiae delegatorum in partibus), weshalb wir, das Cabinets-Ministerium, mit E. E. in besonderer Correspondenz stehen, wieder zu cassieren sein dürfte“.

Haud mirum, quod gubernium Borussicum, spreto prorsus iure ecclesiastico, primatiatum Gnesnensem destructo antiquo Regno nostro insimul extinctum existimat ac deinde de nullatenus admittenda eius „restitutione“ loquitur.

Similiter autem etiam Wl. Kwiatkowski ratiocinatur primatiatum archiepiscopis Gnesnensibus ab (infelicis memoriae) comitis Grodnensibus „denegatum“ (o. c. p. 30: „ostatni sejm polski rozbiorowy w Grodnie odmówił tytułu „Prymasa Królestwa Polskiego“ arcybiskupom gnieźnieńskim“) atque etiam „titulum“ primatalem ablatum fuisse (p. 21: „sejm polski odebrał im tytuł prymasa“), quasi primatiatus iuris esset civilis. Falso etiam interpretatur (ib. p. 16) preces a capitulo Gnesnensi d. 14. I. 1794 regi Borussiae in eodem negotio porrectas, ut archiepiscopi Gnesnenses deinceps primatiali titulo uterentur tamquam de benignissima concessione regis Borussiae eis inditum („jako u dziedziny tylko z jego niewymownej łaski...“), ubi tamen nihil huiusmodi legimus. Capitulum enim secernendo concessas olim archiepiscopis Gnesnensibus praerogativas civiles ab ipsa praerogativa primatiali recte distinguit illas non ex primatiali tamquam mere spirituali dignitate, sed ex constitutione regiminis status civilis pullulasse, primatiatum autem dignitatem pure spirituali et ecclesiasticam esse ideoque nulli civili regimini praeiudiciosa archiepiscopis Gnesnensibus salvam integrumque manere posse, provocandoque ad sollemnem confirmationem omnium iurium et privilegiorum ecclesiae in tractatu Grodnensi a rege Borussiae factam eundem petit, ut pure ecclesiasticae et spiritualis praerogativa primatalis usum archiepiscopis Gnesnensibus admittat („patet... quod dignitas haec tamquam pure spiritualis et ecclesiastica... salva et integra manere possit quodque de benignissima concessione Maiestatis Vestrare.... salva et integra profecto manebit“). Immerito etiam praelibatus auctor (ib. p. 13 sq.) in praeiudicium primatis Gnesnensis causam Varsaviensis palatii „primatalis“ profert, a rege Stanislawo Augusto in memorata constitutione d. 23. XI. 1793 de dotandis episcopatibus in residentiam futuri episcopi Varsaviensis tunc destinati ac deinceps etiam primo a Borussico regimine eidem concessi. Eiusmodi illius palatii dispositio omnino iniusta atque irrita erat. Palatii enim istius, quondam privato sumptu a primate Alberto Baranowski, dum erat episcopus Plocensis, aedificati antistites Gnesnenses fuerunt solumodo ususfructuarii, ius vero eius

ministris curandum commisit, ne quis episcoporum in terris Poloniae nimia auctoritate aut opibus polleret¹⁷⁵⁾.

Qui metus providentiaque regiminis Borussici loculenter etiam manifesta aparuerunt, cum ad erectionem novarum dioecesium esset progrediendum. Postquam idem gubernium nullos antistites extraneos infra limites suaे ditionis quamquam iurisdictionem ecclesiasticam exercere sese passurum esse constituit, necessario praeter novam dioecesim ritus graeci in Supraśl alia ritus latini, acquidem in Vigry, ex partibus Vilnensis, Livoniensis Luceoriensisque dioecesum erat constituenda, denique tertia ex archidiaconatu Varsaviensi, a sede episcopali Posnaniensi nimis longe dissito, quamvis huic negotio aliquamdiu respectus fiscales adversari viderentur Gnesnensisque archiepiscopi consilium archidiaconatus Varsaviensis pro Calisiensi cum Posnaniensi episcopo commutandi suaequae archidioecesi inviserandi. Tum respectus nimis periculosi incrementi potestatis archiepiscopi cum ingrata propter nimium zelum ecclesiasticum Posnaniensis antistitis Raczyński persona etiam Varsaviensem dioecesim erigendam suadebant¹⁷⁶⁾, re ipsa propter exiguum dioecesum antiqui Regni proprietatis ad capitulum Gnesnense pertinebat. Sic palatum illud, „primatiale“ dictum, non fuit primatum. Nuntius autem apostolicus Viennensis Antonius Gabriel Severoli ex auctoritate Summi Pontificis specialiter ei tributa primaevum ius archiepiscoporum Gnesnensium resp. eorum capituli decreto suo de d. 6. XI. 1812 confirmavit (Archivum Archidioec. Posn. nr. 8019: Acta facultatum apostolicarum fol. 59v).

¹⁷⁵⁾ Lehmann o. c., nr. 190: „Es ist Allerhöchstdero Intention sowohl als der Verfassung gemäss, keinen Bischof zu gross und zu reich werden zu lassen und mehrere Beneficia in einer Person zu vereinigen“ (decretum regis Borussici de d. 6. III. 1795); nr. 413: „weil dadurch überhaupt zu viel geistliche Autorität auf ein Subiect würde vereinigt werden, nicht ratsam und würde denen von E. K. M. genehmigten und vorgeschriebenen Grundsätzen zuwider laufen“ (ex relatione ministrorum Hoym, Alvensleben et Haugwitz de d. 10. II. 1797 ad regem Borussiae); cf. 378.

¹⁷⁶⁾ Ibid. nr. 413: „Hiernach hängt es gegenwärtig ganz von Allerhöchstderoselben freier Willkür ab, ob dasselbe (scil. archidiaconatus Varsaviensis) wieder zu dem Bistum Posen gezogen oder davon ein eigenes Bistum formiert werden solle. Das erstere scheint aber.... um der persönlichen Eigenschaften des zeitigen Bischofs von Posen, Grafen v. Raczyński, willen.... nicht ratsam...“; nr. 343 (31. V. 1796): „Der Bischof von Posen hält sich noch immer seiner zerrütteten Gesundheit wegen ausser Landes auf und hat sich bisher gar nicht vorteilhaft gezeigt“; nr. 378 (25. X. 1796): „....die persönlichen Eingeschafthen des zeitigen Bischofs, sein gar nicht vorwurfssfreies (scil. in rebus politicis) Betragen“.

nostri numerum iam pridem haec sedes erat constituenda. Quae res sine ullo status Borussici periculo perficienda videbatur, dummodo et Vigriensis et Varsaviensis sedes a iure metropolitani Gnesnensis exemptae Sedique Apostolicae immediate essent subiectae¹⁷⁷⁾. Quodsi deinde utraque dioecesis, a papa Pio VI a. 1798 erecta, sedi Gnesnensi iure metropolico minime subdita est, Sedes Apostolica sic eandem rem ordinavit ad expressam petitionem regiminis Borussici¹⁷⁸⁾. Quod et paulo post ipse Vigriensis episcopus Gołaszewski in litteris suis ad archiepiscopum Ignatium Raczyński d. 8. VIII. 1810 datis testatur sedem ipsius ac Varsaviensem a iure metropolitani exemptam fuisse de voluntate regis Borussiae ad destruendam unitatem ecclesiae et nationis Polonicae¹⁷⁹⁾. Consueverat autem idem gubernium multa a Curia Romana extorquere secundum suum arbitrium, minitando nonnunquam repressionibus ac etiam introducendo in regno suo systemate Austriaci josephinismi¹⁸⁰⁾. Sic stantibus rebus nullatenus concedi potest Papam Pium VI ideo sedem Varsaviensem iuri metropolitani Gnesnensis non subiecisse, quod intentionis suae fuisse aliquando ad metropolitanum et primatalem gradum eam promovendi¹⁸¹⁾, cum insimul etiam Vigriensem episcopum sedi Gnesnensi minime subiecisset.

Quid autem ipsa Sedes Apostolica tunc temporis de iure primatiali ecclesiae Gnesnensis iudicaverit, minime nos latet.

Nuntius apostolicus Litta reversus Petropoli ad Curiam Romanam a. 1800 in relatione sua de statu ecclesiae sub ditione Borussica tum constituta ecclesiam Gnesensem pri-

¹⁷⁷⁾ Lehmann o. c., nr. 359, 384, 393, 403, 404, 419, 436, 608.

¹⁷⁸⁾ Ibid. nr. 419, 608. Cf. adnot. 174.

¹⁷⁹⁾ Archiv. Archid. Posn., Acta Archiep., Gen. 175 vol. 1 fol. 66 sq.

¹⁸⁰⁾ Lehmann o. c., nr. 237, 162 ministerium Berolinense ad abbatem Ciofani d. 15. XI. 1794: „Si malgré mon attente la cour de Rome continuait de refuser de parailles dispenses ou de les taxer si onéreusement, je me verrais forcé de rétablir et de maintenir les évêques après l'exemple des États d'Autriche de ne faire dorénavant de pareil les demandes qu'aux évêques de mes États“.

¹⁸¹⁾ Sic autem ratiocinatur Wl. Kwiatkowski o. c., p. 25: „To wyjęcie nowego biskupstwa z pod jurysdykcji metropolitalnej Gniezna dość wyraźnie wskazywało, że Rzym ma jakieś zamiary względem Warszawy, co do której chce na przyszłość zachować sobie wolną rękę. Czyżby chodziło tu o plan związania prymasostwa polskiego z Warszawą....?“.

matialem vocat eique iure metropolico septem (sic!) episcopatus subesse refert¹⁸²⁾.

Summus vero Pontifex Pius VII cognitis miserrimo statu opressaque libertate ecclesiae nostrae sub dominatione regis Borussici existentis amissaque spe instituendae nuntiatura in terris eius actualem iurisdictionem archiepiscopi Gnesnensis ultra metropolitanam ampliare constituit, ut iure suo primatiali et legationis natae libere fungeretur. Quae res, sicut manifesto patet ex litteris Berolinensis ministerii pro negotiis externis ad ministrum Voss d. 20. IV. 1801 datis, huic omnino displicuit. Nimis periculosus videbatur ei archiepiscopus legati (i. e. primatis) auctoritate et iurisdictione praeditus, cuius opera etiam Sedis Apostolicae infra Regnum Borussicum actualis influxus augeretur ac firmaretur. Nullatenus vero archiepiscopo Gnesnensi concedenda esset iurisdictio in Varmensem, Vratislavensem ac Vigriensem episcopos, potius retinendum consuetum „systema episcopale“, a regia potestate invigilatum¹⁸³⁾. Quarum rerum habita ratione decretum est a regimine Berolinensi d. 26. IV. 1801, ne archiepiscopo Gnesnensi ulteriores facultates tribuerentur¹⁸⁴⁾. Ex relatione ista regiminis Borussici appetit Summum Pontificem id petivisse, ut archiepiscopus Gnesnensis officio suo primatiali legationisque natae libere fungeretur. Quodsi autem Sedes Apostolica nec archiepiscopo Krasicki nec successoribus eius, quamdui sub Borussica constituti erant ditione, titulum primialem in litteris suis apposuerit, id respectu eiusdem regiminis ad evitandas dissensiones fecisse neque id in praeiudicium sedis istius factum esse satis manifestum est.

Allata superius duo ista ipsius Sedis Apostolicae testimonia evidens praebent argumentum memoratam constitutionem Regni

¹⁸²⁾ Archivum Vatic., Nuntiatura di Polonia, Russ. 344 additamentum I: „Ed ecco qual'e presentemente l'ordine della gerarchia e delle chiese cattedrale ne' nuovi Stati Prussiani, cioe nel modo sequente quanto alle chiese Latine. L'arcivescovato di Gnesna, chiesa metropolitana e primaziale, la di cui diocesi ha due suffraganei. Il suo diritto metropolitico poi si extende sopra i vescovati seguenti.... (sequuntur septem dioeceses iure metropolitico tunc ecclesiae Gnesnensi subditae); Likowski H., in tractatulo mscr. de primatiatu Gnesnensi p. 9, in Actis Archivi Archiep. Posn. asservato.

¹⁸³⁾ Granier o. c. t. 8, nr. 308—309. Cf. supra adnot. 174.

¹⁸⁴⁾ Ibid. nr. 310.

Poloniae de d. 23. XI. 1793, postquam Summus Pontifex praerogativam primatialem ecclesiae Gnesnensis minime cassavit, diruto interim eodem Regno nullius factam esse momenti nisi proprie historici.

Ubi autem ea in causa nihil a Sede Apostolica constitutum est, archiepiscopi Gnesnenses per totum ditionis Borussicae tempus praerogativam istam sibi vindicaverunt eaque et coram Curia Romana et gente nostra fruebantur.

Iam in receptione sua ad ecclesiam Gnesnensem Ignatius Krasicki occupando eius possessionem ac praescriptum statutis iuramentum praestando pleno titulo primatis legatique nati usus eoque a capitulo suo denominatus est¹⁸⁵⁾. Stando vero isti iuramento super conservandis defendendisque iuribus et privilegiis suaे sedis per totum pontificatus sui tempus primatiatus sui causam summo prosequebatur studio. Fruebatur etiam auctoritate sua primatiali inter episcopos iure metropolitico minime sibi subditos. Vigriensis episcopus Karpowicz parendo mandato eius sollemnes exequias pro defuncto Papa Pio VI instituit, cognita tamen re a gubernio Borussico id de mandato primatis se fecisse dissimulare nec in futurum ulla ab eodem mandata accepturum se esse polliceri coactus est¹⁸⁶⁾.

Successor eius Ignatius Raczyński postulante regimine Berolinensi, quamvis invitus, a capitulo Gnesnensi d. 14. III. 1805 electus, deinde d. 25. VIII. 1806 a Papa Pio VII ad sedem Gnesnensem translatus est simulque expetente id praefato regimine administrationem vacantis dioecesis Varsaviensis obtinuit ad quinquennium¹⁸⁷⁾. In instrumento nominationis eius regiae, ne

¹⁸⁵⁾ Acta et descr. capituli Gnesn. XXVII fol. 219v, 220; cf. Archiv. Consist. Gnesn., Acta postcurialia D 6, p. 19 — litterae archiep. Krasicki de d. 21. III. 1796, Berolini: „auditor primatialis“, e. a.

¹⁸⁶⁾ Granier o. c. t. 8, nr. 190, 194.

¹⁸⁷⁾ Arch. Archid. Posn. nr. 8019: Acta facultatum apostol. fol. 37, 58. — Quod invitus ad sedem Gnesnensem et administrationem Varsaviensem postulatus sit cf. litteras eius ad min. Łuszczewski d. 31. III. 1808: „W roku 1805 nominowanym będąc... mimo moich starań, a prawie, jeżeli wyznać się godzi, mimo mojej chęci na arcybiskupstwo gnieźnieńskie i biskupstwo warszawskie...“. Errat Wl. Kwiatkowski referendo archiepm. Raczyński administrationem ecclesiae Varsaviensis ea mente sibi expetivisse eamque detinuisse, ne sedes illa celerius ad archiepiscopalem promoveretur titu-loque illo historico „Primatis Regni Poloniae“, a comitiis Grodnensibus

titulus primatis legatique ei imponeretur, caute ab eodem gubernio erat provisum. Bullam autem translationis suae recepit demum constituto iam Ducatu Varsaviensi, per placetum regium a Friderico Augusto, Saxonie rege duceque Varsaviensi, admissam, ea tamen conditione apposita, ut iurisdictionem suam secundum ius commune ultimoque receptum („z praw ostatnich zwyczajnych“) exerceret h. e. sicut antecessor eius Krasicki eam exercuerat. Etiam in eadem admissione eius titulus primatialis praetermissus erat¹⁸⁸⁾.

Sic autem fuit manifestum Ducatus Varsaviensis regimen, ab imperatore Galliarum Napoleone I plene dependens, imprimis antiquas politicas primatum praerogativas ei concedere noluisse. Unde etiam in constitutione istius Ducatus, ab imperatore Napoleone eidem demandata, quamvis archiepiscopo Gnesnensi prima in senatu sedes concessa esset, nullatenus vero eius principatus. Quod protinus non est mirum, si advertatur in constituendis tractandisque rebus ecclesiasticis adversum infestumque systema tum Borussicum tum Franciae, revolutionis gallicanismique labe nimis affectae, introducto insuper Codice Napoleonis (a die 1. V.

Gnesnensi sedi „denegato et ablato“, decoraretur (o. c. p. 29). Re vera gubernium Borussicum propter lucrum fisci administrationem sive potius ipsum episcopatum Varsaviensem eidem conferendum a Sede Apostolica expetiverat acquidem ad vitam. Cum vero Summus Pontifex solummodo administrationem ei demandavisset eamque ad quinquennium, regimen Berlinense offensam regis sui id reputavit, deinde residenti suo Romano mandavit, ut parcendo superfluis expensis a pallio expetendo abstineret, interpellatus autem ea de re a Sede Apostolica simularet, quasi nullum super eodem mandatum ab electo archiepiscopo accepisset. Competentem vero pensionem ratione utriusque sedis administrationis archiep. Raczyński multo minorem tulit illa, quam antecessor eius Krasicki ratione solius archiepiscopatus Gnesnensis perceperat (cf. Granier o. c. t. 8, p. 643, t. 9, nr. 782, 914, 916, 922, 923, 955 et passim). Partem autem emolumentorum ex diminutis pensionibus episcoporum provenientium idem gubernium titulo gratificationis bene merito residenti suo in Curia Romana a. 1806 attribuit (ib. 907); Curia vero praedicta tunc etiam quaevis negotia praetermissa eodem residente sibi oblata expedire renitebatur (ib. 971 sq., 966, 969). Elapso tandem quinquennio administrationis episcopatus Varsaviensis archiep. Raczyński expetente capitulo eiusdem sedis ad aliud quinquennium (a. 1812 6. XI.) a nuntio apostolico Viennensi administrator eiusdem constitutus est (Arch. Archid. Posn. nr. 8019: Acta facult. Apost. fol. 37, 58). — Cf. infra.

¹⁸⁸⁾ Arch. Archid. Posn.: Gen. 186 (nr. 8022) Acta translat. archiep. Raczyński fol. 16: „Przewielebny Hrabia Raczyński, biskup poznański, do

1808) omnino praevaluuisse ipsumque regimen magna ex parte penes viros liberalismo, partim etiam societatibus occultis adscriptos devenisse¹⁸⁹⁾.

Nihilominus tamen archiepiscopus Raczyński ab omnibus, etiam ab episcopis iure metropolico minime ei subditis, Primas reputabatur ac denominabatur eademque auctoritate et iuro suo fruebatur.

In sollemni actu receptionis eius ad ecclesiam Gnesnensem a capitulo cathedrali titulus primatialis sicut eius praedecessoribus ei inditus est ipseque praestando per procuratorem suum iuramentum consuetum super servandis statutis ac iuribus et privilegiis ecclesiae suaे, immutato ad hoc iuramenti tenore, etiam primatialis praerogativaе iura sese defensurum esse spopondit seque obligavit: „Ego N. N. Dei gratia archiepiscopus et primas iuro iuxta dispositionem statuti provincialis....“¹⁹⁰⁾.

Fungendo suo officio archiep. Raczyński fruebatur vera auctoritate primatiali, sicuti eius praedecessores usque ad tempora destructionis antiqui Regni fruebantur.

Quod vero iurisdictionem primatialeм attinet, in causis quidem iudicariis, cum interim tempore regiminis Borussici iudices delegati tertiae resp. secundae instantiae essent constituti, antequam ad easdem ordinandas aggressum est, deportato Summo Pontifice in Galliam nulla status illius immutandi facultas sese offerebat. Ubi vero anno 1810 deputati a regimine Varsaviensi ad negotium istud ordinandum statuerunt, ne ullaе ad Curiam Romanam appellations admitterentur, episcopus Vigriensis, immediate subditus Sedi Apostolicae, ita causas appellationum a Curia Romana institui suasit, ut in secunda instantia ad iudices deosiagnięcia достоинства князя архиепископа гнезненского, w Księstwie naszem Warszawskiem został upoważniony.... Pomięńiony Przewielebny Ignacy Hrabia Raczyński, Książę Arcybiskup Gnieźnieński, władzę duchowną w metropolii gnieźnieńskiej z praw ostatnich i zwyczajnych, достоинству i urzędowi swemu służących, oraz dochody temuż dziś przeznaczone, aby objął, onych używał mieć chcemy”; cf. Korytkowski, Arcybiskupi gnieźn. t. 5, p. 257.

¹⁸⁹⁾ Tristis tempore Ducatus Varsaviensis Ecclesiae conditionis testimonia plurima afferunt partim publicata, partim in Archivo Archidioecesano Posnaniensi ac in utroque archivo Gnesnensi contenta acta inedita; cf. Szeszczętna korespondencja władz duchownych z rządem świeckim Księstwa Warszawskiego, s. I. 1816.

¹⁹⁰⁾ Acta et decr. capit. Gnesn. XXVIII fol. 249v, 250v.

legatos Varsaviae residentes (collegium infaustum ad instar Petropolitani), in tertia ad „metropolitanum Gnesensem, caput (primatem) ecclesiae Poloniae et legatum natum“ („Naczelnik Kościoła polskiego“) deferrentur, quod quidem consilium perfectis adnotacionibus archiepiscopi omnino proiecit (propter illud „collegium“)¹⁹¹⁾.

Bene conscientis competentis sibi ratione primatiatus suae sedis iuris vocandi omnes antistites Ducatus istius ad synodum suae provinciae seu primatiale vel totius Ducatus generalem, expetente eiusmodi concilii convocationem ipso regimine a. 1811 ad constituendas res cum statu civili, ad novas regulas disciplinae condendas et elaborandum projectum novae distributionis dioecesum, dato responso d. 11. XII. 1811 paratum sese aperuit, dummodo omnia decreta synodi ad Sedem Apostolicam pro obtainenda confirmatione deferrentur¹⁹²⁾). Quodsi synodus non fuit congregata, regimini civili tribuendum est, cuius plurimum tunc intererat, ne res istae auctoritate Summi Pontificis constituerentur. Negotia vero illa a memorata superius commissione, a gubernio civili instituta, agebantur, quae commissio irrequisitis episcopis etiam novam hierarchiam ecclesiasticam creare novasque regulas disciplinae ecclesiasticae praescribere praevidebat, cui rei et rex Fridericus Augustus, Dux Varsaviensis, et ipse archiepiscopus Raczyński adversabatur antiquas regulas disciplinae omnino sufficere, novis autem rebus condendis suborta tam deflebili ecclesiae oppressione tempora ista non favere existimans¹⁹³⁾). Nec suspicandum est archiepiscopum ideo novae hierarchiae constituendae consilio non consensisse, quod timuisset, ne Varsaviensis metropolis tunc constitueretur a se deinceps sua primatialis „titulus“ avelleretur! Episcopus enim Vigriensis Gołaszewski, exemptus, exarando ad requisitionem gubernii civilis consilia sua de ordinandis rebus ecclesiasticis Ducatus Varsaviensis imprimis arctiore unitatem eius hierachican sub unius metropolitani auctoritate perficiendam, unitate nationis Polonicae id exigente, ostendit. Quare et Vigriensem suam sedem et Var-

¹⁹¹⁾ Archiv. Archid. Posn., Gen. 175 v. 1: Korespondencja z obcym duchowieństwem, urzędami i osobami, fol. 68v.

¹⁹²⁾ Ibid., Gen. 184: Koresp. z ministerjum 1807/12, p. 367 sq.

¹⁹³⁾ Archiv. Archid. Posn., Gen. 175 vol. I fol. 102 sq. (litterae archiepiscopi d. 1811 27. III. Dresnam ad d. Schneider); cf. ib. 95v.

saviensem, expetente quondam regimine Borussico Sedi Apostolicae immediate subditas, tandem metropolitano unico istius Ducatus subiciendas esse arbitratus est ipseque, salvo Sedis Apostolicae consensu, ad intime uniendam ecclesiam Polonicam a praerogativa sua cedere paratus erat¹⁹⁴⁾. Varsaviensis autem ecclesiae administrationem archiepiscopus Raczyński nullatenus tunc cum detimento eius ultra condignum detinebat. Iam enim a. 1809 et administrationis istius et sui archiepiscopatus resignationem intenderat, quam autem Papa Pius VII tunc non admiserat¹⁹⁵⁾. Elapso tandem quinquennio, ad quod tempus administratio illa ei commissa erat, eandem grandaevus mortemque propinquam exspectans iterum erat resignaturus¹⁹⁶⁾, precibus tamen praelati istius ecclesiae Woronicz, posthac eius archi-

¹⁹⁴⁾ Ibid. fol. 67v sq.: „....1. Sądzę, że w kraju powinna być jedność hierarchiczna zastosowana do jedności narodu pod przewodnictwem jednego metropolity, nieroziomy bowiem, ażeby podział niewielą diecezji na części był potrzebny, nawet nadal; mogłoby to być rzeczą szkodliwą, mimo bowiem godności charakteru wewnętrznego, duszy, umysłu i serca teraźniejszych biskupów ręczyć za następnych nie można, aby z powódów osobistych jakie się nie wciśniły między arcybiskupami nieporozumienia, kolizje i rozróżnienia, a nawet z czasem nieprzyzwoite partyzantwo, temu stanowi tym bardziej nieprzyzwoite. Z tej zaś samej myсли wypada, ażeby żadnego nie było biskupstwa, któreby miało prerogatywę udzielności, bez związku hierarchicznego z metropolitą, jakimi są warszawska i wigierska diecezje, które na żądanie rządu zeszłego mocą bulli erekcyjnej bezpośrednio od samej tylko Stolicy Apostolskiej zależą. Ja z mojej strony w tej mierze (salvo consensu Sedis Apostolicae) gotów jestem tej prerogatywy odstąpić dla ścisłej jedności Kościoła polskiego oraz w względzie ogólnym dla lepszego w powszechności dobra“. Quod responsum suum ep. Gołaszewski archiepiscopo Raczyński corrigendum transmisit, priusquam regimini illud traderet (ibid. fol. 66 sq.), accepto vero responso eius aliud conscripsit (f. 47).

¹⁹⁵⁾ Ibid. Gen. 184: Korespondencja z ministerium fol. 131: minister Łuszczewski d. 9. VIII. 1809 archiepiscopo duo brevia Papae Pii VII transmittit, quibus Summus Pontifex resignationem eius non admittit, episcopos vero admonet, ut coniunctioni cum eo attendant.

¹⁹⁶⁾ Ibid. Gen. 175 vol. I, fol. 95: litterae archiepiscopi d. 25. XI. 1811 ad praelatum Woronicz: „Dobrze JWPan znasz, co to jest dziś do czynienia z jedną diecezją w teraźniejszych czasach, dopieroż z dwiema, w jednej z których stolica. Wiek także mój ostrzega mię o bliskości żywota innego, do którego gotować się, ciężarów pozbywać, nie zaś obciążać się nimi dla mnie przystoi“.

episcopi, atque capituli totiusque dioecesis inclinatus eam retinuit^{197).}

Haud immemor auctoritatis ac iuris sui primatialis propria sponte communes easque gravissimas ecclesiae totius Ducatus Varsaviensis causas apprehendebat iuraque ac libertatem eius defendebat dirigendo se tum ad Sedem Apostolicam, quantum via patuit, eiusque nuntium Viennensem, tum ad regimen civile, denique etiam ad omnes istarum partium antistites, persaepe ad primatiale suam auctoritatem expresse provocando, „caput“ vel „primum praelatum“ cleri Ducatus Varsaviensis („głowa“ a. „pierwszy naczelnik duchowieństwa Księstwa Warszawskiego“) ex officioque suo defensorem eius sese donominans, e. gr. in memoriali suo de d. 28. IX. 1808 regi Friderico Augusto transmisso: „Munere fungens p̄imi animarum christifidelium pastoris in hoc Ducatu Varsaviensi, Regiae Maiestatis Vestrae sceptro subdito, districti mei officii esse scio nihil mea ex parte praetermittere, quod ad extirpandum malum et promovendum bonum, ad vivificandam sanctam patrum nostrorum fidem eaque ad firmandam prosperitatem felicitatemque populi curae meae spirituali commissi pertineat, ne tacendo aut neglegendo culpabilis existam in conspectu Dei“¹⁹⁸⁾, vel in litteris ad eundem d. 18. V.

¹⁹⁷⁾ Ibid. l. c. fol. 94 sq.: „Druga okoliczność niemniej nas zasmuca, jeżeli byś JO W. Księęcia Mośc Dobrodziej chciał nam usunąć opieki dalszego pasterstwa przez niestaranie się o prorogację od Ś. Stolicy Apostolskiej dalszej Swojej administracji. Życzeniem zapewne całej tej diecezji jest, aby pod zacnym zastępcą JOXMci Dobrodzieja oczekiwała jeszcze dalszego losu swojego. Pokazują się tu już różne manewry konkurentów do tej administracji, którzy się do kapituły wrócić musią, gdybyś WXMci Dobrodziej chciał nas z opieki Swojej osierocić ani przyjąć prośb i ofiary kapituły naszej. Śmiem przedstawić prestybularnie te myśli JO WXMci Dobrodziejowi, nim będę pociągniony kapitułą obszerniej je przekładać. Znam nadto ojcowską troskliwość JO WXMci Dobrodzieja o dobro Kościoła Ś., żeby ten zbieg okoliczności był dla niego obojętnym“. Re ipsa capitulum Varsaviense deinde ad Sedem Apostolicam preces pro proroganda administratione eius transmisit (cf. supra adnot. 187 et infra).

¹⁹⁸⁾ Sześciioletnia korespondencja p. 6; cf. alias litteras eius ad regem datas in actis Arch. Archid. Posn., Gen. 178 f. 27v: „jestem głową duchowieństwa polskiego, f. 137: „naczelnik duchowieństwa Księstwa Warszawskiego“, f. 138: „pierwszy naczelnik duchowieństwa...“, et ad ministros, ibid. Gen. 184, f. 162: „kler do mojej pomocy jako naczelnika swego“, f. 171v: „z urzędu obrońcą duchowieństwa“, f. 174 sq.: „skargi

1810 datis, quibus querelas totius cleri, etiam Vigriensis episcopi, praedicto regi commendat: „Etiamsi paternum Regiae Maiestatis Vestrae animum nullo afficere velim maerore, tamen non solum propria causa, sed etiam dignitate, quam teneo, querelisque episcoporum atque cleri ad me tamquam caput suum („naczelnika swego“) confugientium atque ut miseriam eorum R. M. Vestrae exponam, thronum R. M. V. accedere commoveor. Serenissime Domine! Misera cleri catholici Ducatus Varsoviensis conditio, aequo miserior exstitit...“¹⁹⁹).

Eadem auctoritate fultus, praemonitus etiam a. 1809 a Summo Pontifice, ut tam arduis in rebus omnes antistites ad defendenda iura ecclesiae congregaret, persaepe antistites Ducatus istius, etiam sibi non suffraganeos, ad conventus vocabat, vocando autem eos nonnunquam, in quantum necessarium esse ei videbatur, ad ius sibi competens (primatiale) provocabat, utpote in litteris d. 14. VII. 1814 vocando ad conventum occasione adventus imperatoris Russiae tenendum inter alios episcopum Lublinensem Albertum Skarszewski, suffraganeum metropolitanei Leopoliensis: „Nolit RDominatio Vestra spem meam fallere, quam multis ex causis, imprimis vero tamquam capitis totius cleri iuris est mei fovere“²⁰⁰). Quibus autem vocacionibus antistites grato animo respondebant, praecipue etiam Vigriensis episcopus, Sedi Apostolicae immediate subditus, tum ex Leopoliensi provincia Cracoviensis, Kielcensis et Lublinensis s. Chelmensis episcopi unaque cum eo negotiis ecclesiae consulebant litterasque memoriales super indigentiis eius aut abrogandis multis legibus, decretis abusibusque et repressio-

biskupów, kapituł i duchowieństwa do mnie jako naczelnika duchowieństwa polskiego“, fol. 483 et ad praesidentem confoederationis generalis principem Czartoryski fol. 482: „jako naczelnik duchowieństwa polskiego“.

¹⁹⁹) Sześciioletnia korespondencja p. 79 et passim.

²⁰⁰) Archivum Curiae Archiep. Gnesn., Acta postcurialia D 8 p. 495: „Nie zechcesz WMPan zawieść moich nadziei, których z wielorakich względów, szczególnie jako naczelnik całego duchowieństwa mam prawo spodziewać się“. — Ad eundem conventum vocaverat tunc archiep. Raczyński praeter suffraganeos suos ac Chelmensem s. Lublinensem episcopum etiam Kielcensem Górska (14. X. e. a.), Vigriensem autem Gołaszewski, tunc Varsaviae commorantem personaliter forte adierat (ibid. 533; 493 sq., 500, 532, 534).

nibus in praeiudicium status ecclesiastici introductis ad regem aut gubernium civile transmittebant²⁰¹⁾). Quodsi praecedentia ei tamquam unico inter eos archiepiscopo debebatur, ius vocandi eos ad conventiones, loco synodi celebratas, ex primatiali praerogativa competit.

Praelibati vero antistites quibusvis gravioribus in causis ultiro ad interventionem et auxilium archiepiscopi Gnesnensis tunc aufugiebant²⁰²⁾ denominando eum in litteris suis si non ipso titulo primatis, a regimine civili praetermisso, tamen titulo prorsus aequivoco, appellando eum, sicuti iam a. 1636 nuntius apostolicus Honoratus Visconti in relatione sua ad Sedem Apostolicam eos denominaverat²⁰³⁾), „Caput ecclesiae Polonicae“ vel Primus praelatus e. P.“ („Naczelnik K. P.“), „Primus Pastor eccl. Pol.“ („Najpierwszy Pasterz K. P.“) ac „Centrum eius unitatis“ („centrum naszej jedności“). Inter quos antistites praecipue Vigriensis episcopus Antonius Gołaszewski, exemptus, continuo archiepiscopum litteris suis adibat, similiter eum denominando ac pro primate suo eum habendo²⁰⁴⁾. Sic

²⁰¹⁾ Sześciioletnia korespondencja, p. 50/64, 95, 129/148, 188 sq., 231 sq., e. a.

²⁰²⁾ Archiv. Archid. Posn., Gen. 175 v. 1, *passim*.

²⁰³⁾ Rykaczewski, Relacje nunciuszów t. 2, p. 237: „Głową całego duchowieństwa i powiedzieć można całej Rzeczypospolitej jest arcybiskup gnieźnieński, jako prymas królestwa i urodzony legat Stolicy Apostolskiej, do których tytułów przywiązane są wielkie prerogatywy i prawie królewskie, których używa mianowicie w czasie bezkrólewie“.

²⁰⁴⁾ E. gr. ep. Vigriensis Gołaszewski: 27. XII. 1810: „jako najszanowniejszemu Naczelnikowi kościoła ojczystego“ vel „do nas zaś podległych Jego najwyzszemu w kraju pasterstwu“ (Archiv. Archid. Posn., Gen. 175, fol. 81); 27. III. 1811: „Naczelnik kościoła polskiego“, itidem 30. I. 1812 (ibid. fol. 104, 131); 20. X. 1810: „Najpierwszy Pasterz kościoła polskiego jako centrum naszej jedności“ (ibid. f. 72); 12. XI. 1812 et 13. II. 1814: „jako Głowa kościoła polskiego“, 3. IV. 1810: *prae misera conditione dioecesis suae interventionem archiepiscopi tamquam „capitis ecclesiae Polonicae“ atque sui primatis („naczelnik“) implorat* (cf. *inferius*).

Jakubowski, provincialis S. P. 7. VIII. 1809: „ku najwyzszemu pasterzowi naszemu“ (ibid. Gen. 187, f. 122).

Vladislaviensis suffraganeus ac administrator Lewiński una cum capitulo suo: 1811 6. II. „ad praestandam recognitionem tamquam supremo capitii hierarchiae in regimine (i. e. in Ducatu) ecclesiasticae“ (ibid. Gen. 187, f. 262); 8. XI. 1811 „Najwyzszy duchowieństwa

etiam gubernium civile interdum eum appellabat v. gr. minister Łuszczewski in litteris suis de d. 30. III. 1810, min. Mostowski d. 29. X. 1812²⁰⁵⁾). Saepius quoque a clero et laicis archiepiscopus Raczyński, prout testantur litterae in actis eius asservatae, „*primas Regni Poloniae...*“ intitulabatur.

Quotiens autem „*caput ecclesiae Polonicae*“ vel similiter denominabatur, verbis istis primatalis eius dignitas exprimebatur. Recepta enim erat haec denominatio ex latina versione Constitutionis Regni Poloniae de d. 3. Maii a. 1791, ubi primas Gnesnensis „*caput ecclesiasticorum regni*“ (et in lingua vernacula: „*głowa duchowieństwa polskiego*“) appellatus erat. Quae res tunc, quando de tenore illius constitutionis disceptabatur, ac etiam post eius acceptationem promulgationemque nimis periculosa atque inconveniens et nuntio apostolico Ferdinando Saluzzo et Curiae Romanae visa erat ac merito summopere eos offendebat habito respectu Summi Pontificis proprie dicti „*Caput Ecclesiae*“. Unde iam inter illas discussiones anni 1791 a quibusdam, utpote ab episcopo Chelmensi, propositum erat,

polskiego Naczelnika“ (ibid. Gen. 175, f. 121); 23. VII. 1814: „*Główę kościoła kraju naszego*“ (ibid. l. c., f. 174).

Culmensis ep. Rydzyński: 15. V. 1808: „*jako Główna wszystkich nas biskupów i całego duchowieństwa polskiego*“ (ibid. Gen. 175, f. 8 sq.; cf. Gen. 174, f. 350).

Plocensis ep. Ostaszewski: 7. XI. 1809 „*mam za rzecz z porządku wypadającą, aby to, co z wspólnego naradzenia się biskupów podał się (scil. regi), albo od Główny duchowieństwa krajuowego albo z wzajemnego biskupów z sobą zniesienia się było objaśnione*“ (l. c. f. 42 sq.); 8. XII. 1810 „*ten Naczelnik duchowieństwa w kraju jest legatem apostolskim*“ (l. c. f. 77–80); 21. IV. 1814 „*gorliwa opieka Najpierwszego Naczelnika swego*“ (l. c. f. 160 sq., 137, 190).

Plocense capitulum: 3. I. 1810 „*Jesteś Naczelnikiem duchowieństwa polskiego*“ vel „*jako czułego Pasterza i bacznego swobód duchowieństwa Stróża*“ (ibid. Gen. 178, f. 82).

Varsaviensis capituli praepositus Woronicz, post ibidem archiepiscopus: 21. II. 1811 „*jako Naczelnemu Pasterzowi naszemu*“ (ibid. Gen. 175, f. 95).

Cracoviensis professor sac. Felix Jarosiński: 15. X. 1812 „*Arcybiskup Gnieźnieński, Prymas w Królestwie Polskiem i Legat Apostolski*“ (l. c. f. 148 sq.).

²⁰⁵⁾ Archiv. Archid. Posn., Gen. 184, Korespondencja z ministerjum, fol. 139, 484 („*Naczelnik duchowieństwa polskiego*“).

ut in constitutione illa primas (salvo officioso titulo „primatis“) „primus ecclesiasticorum regni“ declararetur²⁰⁶). Ubi autem tempore Ducatus Varsaviensis antistites ac ministri regiminis civilis archiepiscopum Raczyński exaggeratis illis verbis denominaverunt — manifesto pro primate ecclesiae istius Ducatus ac totius Poloniae eum habuerunt. Non adhibito tamen in constitutione Ducatus ipso titulo primatiali, quod factum esse videtur ex causis mere politicis, ne antistes Gnesnensis tamquam „Primas“ etiam civiles praerogativas antecessorum suorum v. gr. praesidentis senatus officium praetenderet, ipse solo tituli legati nati utebatur tamquam iuxta privilegium Papae Leonis X a. 1515 eminentiore, titulo primatiali sedis suaे superaddito intimeque cum eo coniuncto.

Singulis Ducatus Varsaviensis antistibus tum ex fraterno amore tum ex primatiali auctoritate sua salutaria ad sublevandum deflebilem oppressumque ecclesiarum ac cleri statum etiam sua sponte media commendabat, ipsis omnino gratas consiliis eius aures praebentibus²⁰⁷). Interdum tamen haud ambigue primatiali nixus auctoritate negotia quaedam perficienda vel notabiliores defectus abolendos mandavit, e. gr. suscipiendo anno 1815 querelam visitatoris Congregationis Missionum Basiński contra nonnullos antistites ac imprimis contra Lublinensem Skarszewski, qui contra apostolicas constitutiones religiosos non obtenta superiorum licentia ad curam animarum parochiale assumpserat. Cui archiepiscopus Raczyński eiusmodi graves defectus improbando („nieład w Jego diecezji“) transsumptum bullae Papae Benedicti XIV transmisit eosque tollendos mandavit²⁰⁸).

²⁰⁶ Loret M., Watykan a Polska w dobie rozbiorów (1772—1795), Przegląd Współczesny nr. 146 (1934), p. 343 sq.

²⁰⁷ Archiv. Archid. Posn., Gen. 175 vol. 1—2, 178, 184, 187. Hic respicienda sunt etiam quaedam opera cura eius tunc publicata singulisque antistitibus transmissa tamquam ex officio primi existentis totius ecclesiae Ducatus defensoris, e. gr. versio polonica epistolae archiepiscopi Fénélon in rebus Sacrae Scripturae (Gen. 175, f. 179).

²⁰⁸ Ibid., Gen. 175, fol. 176, d. 1. II. 1815: „Lubo JWJMĆ Pan Dobrodziej wyjątkiem jesteś z pod władzy metropolitalnej, znając jednak sposób Jego myślenia, miłość porządku w hierarchii kościelnej, przywiązanie i posłuszeństwo dla Ś. Stolicy Apostolskiej na przełożenie JX. Basińskiego wizytatora XX. Misjonarzy, skarżącego się, że kapłani z tego zgromadzenia.... (etc.), osądziłem za rzecz przyzwoitą i dla utrzymania

Eadem fatus auctoritate a. 1815 17. X. a sacerdote civitatis Gedanensis, tunc ad Gnesensem provinciam non pertinentis, negotium cuiusdam dispensationis matrimonialis a Sede Apostolica obtinendae suscepit²⁰⁹⁾. Anno 1814 praclusa via ad Curiam Romanam causam quandam matrimonialem in tertia instantia appellativa diiudicavit²¹⁰⁾.

Etiam apud S e d e m A p o s t o l i c a m archiepiscopus Raczynski primatialem sedis suae Gnesensis praerogativam, minime Sede eadem quovis modo contra illam excipiente aut protestante, vindicavit. Si praetermittamus iam memoratam causam appellativam tertiae instantiae primatiali et legationis natae iure ab eo a. 1814 diiudicatam atque a Sede Apostolica silentio acceptatam, eadem auctoritate sua a. 1807, cum grassante tunc bello ad Curiam Romanam via non pateret, processum informativum pro dno Zacharjasiewicz ad episcopatum promovendo instituit, qua de re litteris suis de d. 2. I. 1808 Summum Pontificem certiores fecit ab eoque praconisationem eius obtinuit²¹¹⁾.

Hic afferenda est etiam eius relatio de statu archieocesis Gnesensis ab eodem a. 1810 exarata et ad Curiam Romanam transmissa²¹²⁾. Qua in relatione enumerando sedis suae privilegia consueto more etiam primatialem legationisque natae praerogativam eidem sedi annexam atque in robore suo vigentem allegavit quibusque fulciretur ex apostolica

karności kościelnej potrzebną, przesłać JWWMci Panu Dobrodziejowi kopię autentyczną bulli Benedykta XIV. Przekonasz się JWPan Dobrodziej, jak ten rządca Kościoła surowo obostrzył, aby się podobne nie zdarzały nadużycia.... (Et in fine): Spodziewam się, iż JWPan Dobrodziej oddasz sprawiedliwość przełożeniu JX. Basińskiego wizytatora i nie dopuścisz, aby ten nieład tak szkodliwy mógł znajdować schronienie w diecezji JWPana Dobrodzieja". — Cf. ib. in eodem negotio, alio tamen tenore scriptas litteras archiepiscopi ad administratores dioecesium Vladislaviensis et Culmensis (fol. 178).

²⁰⁹⁾ Ibid. I. c., fol. 186, 188.

²¹⁰⁾ Cf. adnot. 110.

²¹¹⁾ Archiv. Archid. Posn., nr. 11063: Gen. 179 Correspondentiae cum Sede Apostolica, fol. 10.

²¹²⁾ Ibid. I. c., fol. 137–148; Archivum Curiae Archiep. Gnesn.: Acta postcurialia D 7, fol. 448 sq. — Merito archiepiscopus praetermittit ibidem memoratam superius constitutionem a. 1793 23. XI., in qua pro residuo tunc temporis regno Stanislai Augusti novae sedis metropolitanae ac primatialis, nempe Cracoviensis, a Sede Apostolica erigendae facta erat mentio, cum ea res iam a. 1794 ad nihilum redacta erat (cf. superius pag. 660 sq.).

concessione atque confirmatione privilegiis demonstravit. Ad-didit tamen ipsum titulum primatiale, ex quo sub finem a. 1795 tota fere diocesis Gnesensis sub dominium temporale regis Borussorum devenisset, a regimine eius prohibitum esse neque adhuc admitti, cum etiam in constitutione Ducatus Varsaviensis anni 1807 primum quidem in senatu ante alios senatores ipse locum obtinuisse, quamvis titulus ille ibidem non esset appositus. Testatur archiepiscopus in eadem relatione se iure legationis natae (h. e. etiam primatiali) adhuc uti, allegat deinde privilegium purpurei vestimenti et crucis primatialis, ex indulto Papae Benedicti XIV, et ius coronandi reges Poloniae, a Sede Apostolica confirmatum, antiquisque Regni statutis sedi suae reservatum. Denique et privilegiorum civilium, interregis aliorumque mentionem facit, addendo tamen eas res „non amplius locum habere“. De capitulo Gnesensi referens similiter primatiale sedis suae ius allegat: „Capitulum huius ecclesiae primum locum tenet inter alia capitula in Polonia“. Etiam in decreto et ordinatione sua reductionis numeri canonicatum et praebendarum capituli Gnesensis de d. 11. X. 1810 ecclesiam suam metropolitanam tunc quoque primatiali praerogativa gaudere expresse profitetur: „...eandem ecclesiam metropolitanam... pro primatu suo, quem inter alias ecclesias provinciae tenet...“²¹³⁾.

Iure suo primatiali confisus apud Sedem Apostolicam causam promovendi decani Varsaviensis Woronicz ad episcopatum Cracoviensem apprehendit ac prosecutus est, quamvis sedes ista iam 19. VIII. 1807 a iure eius metropolitico exempta Leopolien-sique subdita esset²¹⁴⁾.

Eadem ex auctoritate sua repugnando forti manu nefandae societatum biblicarum actioni in Ducatu Varsaviensi, in Russiae aliarumque ditionum terris antiqui Regni Poloniae Sedemque Apostolicam de omnibus iis rebus suisque gestis ac scriptis informando gratias plurimas a Summo Pontifice tulit²¹⁵⁾. Quod tamen breve apostolicum de d. 4. VI. 1816, quo satis manifesta apparebat primatialis eius in terris totius Poloniae auctoritas, nimis odiosum erat visum regimini Borussico, unde ne publi-

²¹³⁾ Korytkowski, Prałaci i kanonicy katedry metropolitalnej gnieźnieńskiej t. 1, p. 132 adnot. 1.

²¹⁴⁾ Archiv. Archid. Posn., Gen. 179, fol. 215 sq.

²¹⁵⁾ Ibid. l. c., fol. 187 sq., 197 sq., 202, 206.

caretur, archiepiscopus illud regimini Borussico extradere coactus est²¹⁶⁾.

Haud mirum, quod etiam in litteris Sedis Apostolicae tunc temporis nonnunquam primatiatus ecclesiae Gnesnensis expresso verbo commemoratur.

Cuius rei occasio ultro sese obtulit a. 1807 occasione pallii, quod fraudulenta intentione regimen Borussicum, praeter voluntatem archiepiscopi electi ipsoque inscio, nullatenus expetendum esse residentem suum in Curia Romana abbatem Ciofani informaverat ac etiam expetere vetuerat²¹⁷⁾. Referendo de statu huius negotii eidem electo d. 28. X. 1807 archiepiscopus Seleuciae Thomas scribit: „C'est fort étonnant qu'on ait oublié de demander le Pallium pour le premier Siège de la Pologne...“²¹⁸⁾.

Curia Romana de competenti archiepiscopo Gnesnensi iure primatiali optime erat informata neque ulla super eo irrepserat ambiguitas, ubi in litteris e Curia d. 30. IX. 1815 emanatis archiepiscopus Raczyński expresse „Primas Poloniae“ intitulatus est²¹⁹⁾.

Similiter nuntius apostolicus Viennensis Antonius Gabriel card. Severoli aliquotiens in litteris suis ad eundem

²¹⁶⁾ Ibid. l. c., fol. 241. Tenor istius brevis cf. Theiner, Die neuesten Zustände der katholischen Kirche beider Ritus in Polen und Russland, Augsburg 1841, p. 486, Documenta p. 143–145, nr. 39.

²¹⁷⁾ Cf. adnot. 187, tum Archiv. Archid. Posn., Gen. 179, fol. 1–17. — Subdola illa actio regiminis Borussici vix quidquam opprobrii afferre potuit archiepiscopo, cuius apud S. Sedem iam tunc magna erat auctoritas, cf. verba praedicta archiepiscopi Seleuciae de d. 7. XI. 1807: „...je n'ai pas manqué de mettre sous le yeux de Sa Santé votre Mémoire que j'ai en l'attention de traduire en Italien.... Le Mémorie a été extremement gouté par le St. Père et par les Cardinaux, qui l'ont examiné, tous ayant rendu justice à vos talens et plus encore à la franchise do votre zèle apostolique“ (Gen. 179, fol. 2 sq.). Nuntius Viennensis refert archiepiscopo d. 6. XI. 1812 „...cum enim Romae magno in honore Celsitudo Vestra sit“ (l. c. f. 165), saepius etiam eximiae eius auctoritatis, zeli et meritorum laudes praedicat (l. c. 202, 244, 248 e. a.).

²¹⁸⁾ L. c. fol. 1; ib. fol. 2: „Je n'ai pas voulu différer de parler au Pape pour Votre Excellence au sujet du pallium, qu'on a oublié (sic) de demander dans l'expedition des Bulles. Le Saint Père a trouvé la demande très juste, et il est disposé à la satisfaire au premier Consistoire, qui ne tardera pas“. Ibid. fol. 4–7v litterae excusationis etc. baronis de Humboldt.

²¹⁹⁾ Ibid. Gen. 179, fol 222.

ex officio suo datis, quando pleno et sollemini titulo eum denominabat, primatem eum appellavit: „A Son Altesse Reverendissime Monseigneur le Comte Raczyński, Archévêque de Gnesne et Primas de Pologne“²²⁰).

Episcopus vero Tyniecensis Gregorius Thomas (prov. Leopoliensis) cum die 11. III. 1823 capitulo Gnesnensi de obitu memorati principis archiepiscopi ex officio nuntium transmitteret, palam „Primatem Regni Poloniae“ eum appellavit²²¹).

Quibus omnibus superius prolatis vix quidquam dubii potest relinqui, quin archiepiscopus Gnesnensis Raczyński non solum primatiale titulum et praerogativam pro se suaque sede illa vindicaverit, sed etiam tempore Ducatus Varsaviensis iure suo usus sit.

Subsecuta in congressu Viennensi a. 1814/15 nova corporis Regni Poloniae dispartitione²²²) atque ex parte tantum illarum terrarum, quae sub Russiae dominium temporale devenerant, constituto novo „Regno Poloniae“, solummodo speciem quandam libertatis independentiaeque prae se ferente, novae etiam dioecesum istius regni circumscriptio facienda emersit necessitas, ubi et Russiae et Borussiae monarchae inhaerendo conniventiae iam a. 1793 stipulatae nullum praelatum ecclesiasticam iurisdictionem in dominio alterius exercere posse constituerent. Amplissimae archidioecesis Gnesnensis pars minor cum ipsa sede metropolitana ac primatiali ecclesiisque parochialibus numero 222 sub Borussicum, maior cum 398 ecclesiis parochialibus sub Russiacam in Regno Poloniae ditionem redacta erat²²³).

Nimis durum Borussiae in ecclesiam Polonamque gentem iam annis 1793—1807 expertus regimen²²⁴) archiepiscopus Ra-

²²⁰) Ibid. fol. 184 a (13. II. 1814); nr. 8019, Acta facultatum apostolicarum fol. 68, 73 (26. I. et 1. III. 1814).

²²¹) Ibid., Generalia Archidioec. Gnesn. nr. 1, vol. 1, nr. 281: „de morte comitis Ignatii Raczyński, olim principis archiepiscopi Gnesnensis ac Primatis Poloniae“.

²²²) Ibid., Gen. 179, fol. 226, in litteris de mandato archiep. Raczyński d. 20. I. 1816 ad procuratorem suum in Curia Romana datis: „Nova Regni Poloniae divisio in Congressu Vindobonensi definita ...“

²²³) Cf. adnot. 229.

²²⁴) „Trzeba, abyś się stawił w możliwości być wasalem pruskim“ archiep. Raczyński d. 30. X. 1815 episcopo Lewiński, administratori Cuiaviensi respondit (Archiv. Archid. Posn., Gen. 175, v. 1, f. 196).

czyński, tunc paene octogenarius viribusque a multo tempore destitutus²²⁵⁾ nullatenus novas cum eodem gubernio contentiones sibi subeundas iuniorique sibi cedendum arbitratus archiepiscopatum insimulque Varsaviensis dioecesis administrationem resignare constituit atque — tertia iam vice (1809, 1812) — eiusmodi supplicationem die 26. m. Augusti 1815 ad sedem Apostolicam transmisit²²⁶⁾. Mense deinde Novembri a. e. cum Varsaviae existens ab imperatore Alexandro I cognovisset quamlibet personalem iurisdictionis suae infra partes istius Regni exercitionem sibi non admitti, administrationem totius partis suae archidioecesis sub dominio eius sitae atque Varsaviensis ecclesiae, expetente id imperatore, die 25. XI. 1815 canonico Varsaviensi Andreae Wołłowicz nomine ipsius tenendam commisit²²⁷⁾.

Attamen Summo Pontifici haud placitum fuit tam egregii optimeque de ecclesia meriti pastoris tam arduis in rebus auxilio celerius destitui ideoque resignationem eius non acceptavit ac coadiutorem cum iure succedendi suffraganeum Gnesensem Albertum Siemieński ei dare cogitavit, dummodo desuper regis Borussiae consensum obtineret²²⁸⁾. Quare archiepiscopus Raczyński litteris suis de d. 23. I. 1816 denuo administrationem Varsavensem in manus Summi Pontificis resignavit negotiumque hoc suo in Curia Romana procuratori celerius, habita ratione commodi ecclesiae, perficiendum mandavit²²⁹⁾. Quodsi quadam ex parte

²²⁵⁾ Quotannis pro reficiendis viribus ad aquas Bohemicas proficiscebatur.

²²⁶⁾ Ibid., l. c. fol. 228.

²²⁷⁾ Archiv. Curiae Archiep. Gnesn., Acta postcurialia D 8, p. 764.

²²⁸⁾ Gen. 179, fol. 233 (litterae Josephi Battaglia, procur. in Curia Rom.).

²²⁹⁾ Ibid. fol. 228—229: „Beatissime Pater. In hac inaudita totius orbis concussione, quam oculis nostris observari quotidie cernimus, condita ab antiquissimis temporibus statuta auctoritate Sanctae Sedis Apostolicae confirmata et sigillo perpetuitatis munita, nunc in uno ferme ictu oculi divelli et annihilari non sine dolorosissimo animi sensu conspicimus. — Non latet iam profecto Sanctitatem Vestram Ducatum olim Varsaviensem in Congressu Vindobonensi novam subiisse sortem partemque illius ditioni Serenissimi Regis Borussiae, alteram Augustissimi Alexandri Imperatoris totius Russiae et Regis Poloniae sceptro subiectam esse. Evenit inde archidioecesim Gnesensem in duas dissectam esse partes, quarum unam, ubi ecclesia metropolitana Gnesnensis sita est, cum 222 ecclesiis parochialibus intra limites Regis Borussiae mansisse, archicollegiatam vero Lanciensem cum aliis septem collegiatis et 398 ecclesiis parochialibus in Regno Poloniae contineri. Credebam hanc divisionem Regni Poloniae minime obfu-

asseritur eundem archiepiscopum administrationem illam data opera detinuisse, ne Summus Pontifex celarius ad exsequendum consilium suum erigendae metropolis Varsaviensis primatialique titulo decorandae procederet²³⁰), protinus tanti praelati indigno vertitur opprobrio. Ipse enim Papa Pius VII, quod et documentis ex archivo Petropolitano depromptis comprobatur²³¹), nullatenus de erigenda metropoli illa cogitavit. Quod etiam ex sequentibus factis manifesto apparet. Oblatam resignationem archiepiscopi Raczyński Summus Pontifex minime acceptavit, sed brevi suo de d. 3 Martii 1816 ulteriori eius administrationi stetit conservandique imminutam eius in Regno Poloniae, iurisdictionem ordinariam ac metropolitanam animum manifestavit²³²). Quod breve per manus nuntii apostolici ac regiminis Berolinensis (placetum regium!) transmissum est. Regimen breve illud litteris suis de d. 10. VI. 1816 annexum

turam, quin iurisdictionem meam spiritualem et metropolitanam in illo exercere valeam; ast, ad personalem insinuationem Augustissimi Imperatoris ex eiusque ore didici, mel amplius non posse propter politicas rationes in Regno Poloniae tanquam vasallum Regis Borussiae iurisdictionem archiepiscopalem et administratorialem dioecesis Varsaviensis exercere. Censi assentiri propter graves causas Principis voluntati. Consulendo autem bono religionis, ne ecclesia Dei in partibus Regni Poloniae aliquid exinde patiatur detrimenti neve decies centena milia animarum christifidelium spiritualibus destituant auxiliis, illico constitui administratorem archidioecesis Gnesnensis et viceadministratorem dioecesis Varsaviensis revdum Wołłowicz, archidiaconum cathedralis Varsaviensem, virum illustri prosapia et dotibus insignem. Hisstantibus circumstantiis ad pedes Sanctitatis Vestrae, administrationem apostolicam dioecesis Varsavensis pro altero quinquennio mihi benignissime concreditam humillime resigno, implorans cum lachrymis, ut et reliquum oneris ex meis humeris Sanctitas Vestra gratiosissime levare dignetur, super quo preces meas Sanctitati Vestrae sub die 26 Augusti anni elapsi cum omni humilitate exposui, manens post oscula pedum Sanctitatis Vestrae obedientissimus filius.... 23 Januarii 1816 Ciążenii prope Gnesnam in Ducatu Posnaniensi". — Ib. fol. 226: „Cum hoc negotium non patiatur moram, rogo Illustrissimum Dominum, ut epistolam hic annexam Sanctissimo ammanuare dignetur....“ (litterae cancellariae archiepiscopalis Manugiewicz ad residentem in curia Romana Battaglia).

²³⁰) Cf. adnot. 187.

²³¹) „Z carskich archiwów“, Kurjer Poznański 1925 19. III.

²³²) Archiv. Archid. Posn., Gen. 179, fol. 237, 239, 244, 246v; cf. Korytkowski, Arcybiskupi gnieźn. t. 5, p. 277. Quodsi papa Pius VII in litteris suis d. 28. III. 1818 (ib.) alicuius propositionis ipsius archiepiscopi ante diem 3. III. 1816 oblatae mentionem facit, ad litteras eius in adnot. 229 publicatas referendum est.

ei perlegendum misit, ita tamen ut perfectum regimini remitteret, cum „comissa ibidem mandata Curiae Romanae ecclesiam Varsaviensem concernentia“ nullatenus accipere posset, ubi quaevis eius in Regno isto actio iam desinere deberet, quod et Sedi Apostolicae litteris suis significaret²³³⁾. Demum sic cognita intentione Summi Pontificis archiepiscopus ad mentem eius administrationem ecclesiae istius retinere statuit ac post suum ex aquis Egriensibus redditum nuntium apostolicum Vinnensem litteris suis de d. 3. Septembris adiit, ut breve illud regimini Varsaviensi ad manus ministri Potocki transmitteret²³⁴⁾. Cui tamen voluntati eius Nuntius brevi minime recepto vix satisfacere potuisse videtur²³⁵⁾. Numquid ulterius archiepiscopus in negotio isto egerit, ex actis eius nequaquam apparet, ex litteris tamen Summi Pontificis de d. 28. III. 1818 colligimus archiepiscopum quavis ulteriore actione destituisse.

Deinde apud Curiam Romanam res novae delimitationis dioecesum Regni Poloniae ab ambassiatore Russico Italiński agebatur. Postulanti promotionem ecclesiae Varsaviensis ad sedem metropolitanam ac primatialem istius Regni Poloniae, sub Russiaca dictione constituti, Card. Consalvi adnuere renitebatur, quiddam detrimenti ecclesiae Gnesnensi inde evenire ostendens (Febr. et Mart. 1817) ipseque consilium unienda sedis Gnesnensis et Varsaviensis proposuit, facile superari posse fretus difficultates inde subortas, quod ecclesia Gnesnensis in Borussico dominio temporali sita esset. Abnuente tamen delegato Russiae Cardinalis Consalvi rem protrahere constituit necessitate expetendi consensus metropolitani Gnesnensis²³⁶⁾. Sic res diutius retardata erat. Ubi autem regimen

²³³⁾ Gen. 179, f. 237: „An den Herrn Fürsten Erzbischofs von Gnesen Liebden. Euer Liebden habe ich die Ehre hierneben ein durch die Königliche Gesandtschaft zu Wien anhero angelangtes Schreiben nebst dessen Anlage zu senden, wornach von Seiten des Römischen Hofes Eurer Liebden Aufträge geschehen, welche sich auf Warschau beziehen. Da nun durch die neuesten Vorgänge Eurer Liebden Wirksamkeit im Königreiche Polen aufhört, so ursuche ich Eurer Liebden, ein Antwortschreiben, welches dieses anzeigen, mit Zurücksendung des Päpstlichen Breve, an mich gelangen zu lassen, da ich dann dasselbe Antwortschreiben im geeigneten Wege sicher und bald an den Cardinal, welcher das an Eure Liebden gerichtete Schreiben unterzeichnet hat, gelangen lassen werde. — Berlin, am 10-ten Juny 1816. (—) Fürst von Haulenberg“.

²³⁴⁾ Ibid. fol. 239.

²³⁵⁾ Ibid. 244.

²³⁶⁾ Z carskich archiwów, l. c.

Russicum nullatenus aliquam sedis Gnesnensis in ditione sua iurisdictionem admittere vellet, evidens vero ecclesiae commodum atque necessitas novam pro isto Regno Poloniae metropolim erigendam exigeret, Papa Pius VII litteris de d. 28. III. 1818 ab archiepiscopo Raczyński, ut in divisionem dioecesis suae atque evectionem ecclesiae Varsaviensis, „a iure suo metropolitico tunc pendentem“, in metropolitanam consentiret, petivit²³⁷⁾). Obtemperando Summi Pontificis mandato archiepiscopus die 1. VI. e. a. consensum suum desuper praebuit insimulque — quarta iam ab a. 1809 vice — resignationis suae supplicationem obtulit, quam deinde die 22. VIII. e. a. Papa admissit²³⁸⁾). Obtento vero consensu eius Summus Pontifex tandem bulla „Ex imposita nobis“ de d. 30. VIII. e. a. novam Regni istius dioecesium distributionem circumscripsit, cuius vigore partem archidioecesis Gnesnensis Vladislaviensi aliisque finitimis sedibus iure ordinario adiunxit omnesque partium illarum dioeceses sedi Varsaviensi metropolitico iure subdidit²³⁹⁾). Interim imperator Alexander I iam die 31. VII. 1818 Vladislaviensem episcopum Franciscum Malczewski archiepiscopum Varsaviensem ac „Primatem Regni Poloniae“ nominaverat²⁴⁰⁾). Quem deinde papa Pius VII die 2. X. e. a. confirmavit, tum brevi de d. 6. X. e. a. („Romani Pontifices“) ei successoribusque eius usum vestimenti purpurei titulumque „Primatis Regni Poloniae“ concessit, „ea tamen conditione, ut nullam exinde omnino iurisdictionem, nullum ius nullamque auctoratem sibi collatam arbitrentur praeter eam, quam ex archiepiscopali gradu et dignitate ad sacrorum canonum normam iuxta vigentem et approbatam ecclesiae disciplinam assequuntur“²⁴¹⁾). Quo titulo etiam tres immediati successores praelibati antistitis usque ad a. 1829 — duodecim annis — utebantur, usque dum post insurrectionem a. 1830 circa confirmationem novi archiepiscopi Varsaviensis Choromański (1836) imperator Nicolaus I per delegatum suum Kriwcow, habita rerum politicarum ratione, Secretario Status Card. Bernetti titulum primatalem antistitibus eiusdem sedis

²³⁷⁾ Korytkowski, Arcybiskupi gnieźnieńscy t. 5, p. 277.

²³⁸⁾ Ibid. p. 275.

²³⁹⁾ Bullarium Romanum, ed. Barberi, t. 15, nr. 798, p. 61 sq.

²⁴⁰⁾ Korytkowski, Prałaci i kanonicy gnieźn. t. 2, p. 592.

²⁴¹⁾ Bullarium Romanum l. c., nr. 821, p. 127 sq.

sese prohibere neque a Sede Apostolica deinceps eis apponetur protestatus est²⁴²⁾.

Sic inter varias infaustasque gentis corporisque antiquae Reipublicae Poloniae, a tribus finitimiis regnis dispertitae atque dirutae, a. 1818 duae exstiterunt sedes eius primatales, prima antiquissima Gnesnensis, auctoritate et iure primatiali ac etiam legationis natae dignitate pollens, alteraque nova Varsaviensis, titulari tantum iuxta tenorem privilegii primatiatu insignita — deinde tertia Leopoliensis, solummodo ab Austriae imperatore iam a. 1817 titulo primatiatus Galiciae et Lodomeriae decorata.

Quae omnia in manifestum sedis Gnesnensis detrimentum intentata fuisse, vix quemquam potest celare, praesertim cum respiciatur etiam attemptatae a gubernio Borussico eodem tempore suppressionis archiepiscopatus Gnesnensis²⁴³⁾, post insurrectiones annorum 1848 et 1863 iterum affectatae, ubi tamen inter tractatus eiusdem regiminis cum Sede Apostolica iam paene stipulatum erat negotium illud simulque res erigendae metropolis Berolinensis ipseque tunc existens archiepiscopus Gnesnensis Leo Przyłuski litteris nuntii apostolici Monacensis de d. 2 Januarii 1865, ut sedem suam relinqueret, ad Curiam Romanam erat vocatus, cardinalitia dignitate insigniendus²⁴⁴⁾. Attemptata anno 1817 et sequentibus a tribus dispertitoribus Reipublicae Poloniae diminutio auctoritatis primatialis sedis Gnesnensis ac deinceps ipsius sedis suppressio ex secreto in congressu Viennensi eorum condicto suborta esse videtur, ex causis mere politicis, ad abolendam nimis periculosam sedem matricem et interregum. Quodsi Sedes Apostolica, quae nunquam destructionem antiqui Regni iniuriamque genti nostrae illatam ratam habuit, petitionibus Borussiae tunc minime obsecuta est, quamvis, ut patet ex facto ecclesiae Maguntinae tum ad episcopalem redactae, facilius illis acquiescere potuisset, satis inde appetet eam totius Poloniae ecclesiarum matrem et caput etiam circa iura et privilegia eius antiquissima conservare voluisse, quas et decurrente saeculo praeterito data occasione prorsus agnoscebat.

²⁴²⁾ Z carskich archiwów, I. c.

²⁴³⁾ Cuius rei uberiorem relationem affert Hoffmann, Wykonanie bulli „De salute animarum“ w W. Ks. Poznańskiem, Roczniki Historyczne 8, p. 30–38.

²⁴⁴⁾ Archiv. Archid. Posn., Personalia archiep. Przyłuski v. 2.

Cuius rei habenda est ratio, si ad considerandam concessionem tituli primatialis a. 1818 antistiti Varsaviensi impertitam procedatur.

Concessio illa ab hominibus iuris canonici vel saltem tenoris istius privilegii ignaris facile ita explicari potuit, acsi titulus primatialis Gnesnensis ad Varsaviensem ecclesiam translatus esset²⁴⁵⁾. Cuius opinionis etiam nostris temporibus atque decisa iam illa quaestione decreto Sedis Apostolicae a. 1925, quo antistiti Gnesnensi titulus „Primatis Poloniae“ confirmatus est, quadam ex parte prodierunt, perpauci tamen, defensores²⁴⁶⁾. Quae opinio omni prorsus caret fundamento, cum et tenores documentorum, ad quae referendum est, et facta posteriora contrarium praebent argumentum.

Ex iis omnibus, quae de archiepiscopo Raczyński atque de actis in Curia Romana coram Card. Consalvi superius dicta sunt, satis perspicuum est negotium illud attigisse solummodo eius resignationem iurisdictionis ordinariae et metropolitanae in illas archidioecesis et provinciae eius partes, quae sub temporealem potestatem Russiae devenerant, nullatenus tamen sedis eius tituli, auctoritatis iurisque primatialis. Consequenter etiam bulla circumscriptiva „Ex imposta nobis“ memoratas partes ab ordinaria et metropolitica iurisdictione archiepiscopi Gnesnensis exemit, minime facta mentione eius primatiatus. Eius autem constitutionis apostolicae sedes Gnesnensis accepit authenticam notitiam, nullatenus vero praesumptae cuiusdam cassationis aut translationis eius tituli et praerogativae primatialis, quae etiam paulo ante et postea ab ipsa Sede Apostolica agnoscebatur. Nec provocandum est ad memoratum breve „Romani Pontifices“ eiusque tenorem. Certo secundum receptam consuetudinem Curiae Romanae in eodem brevi aperte et districte esset prolatum praerogativam sedis Gnesnensis cassatam esse, titulum vero istum ad Varsaviensem transferri, cuius tamen rei nulla ibidem facta est mentio nec omnino quovis alio modo sedi Gnesnensi eiusmodi transmissa notitia. Nihil quoque refert, quod in capite istius brevis, ubi sedes Varsaviensis iam ad metropolitanae gradum evecta

²⁴⁵⁾ Cf. Arcybiskupi gnieźnieńscy i prymasi, Warszawa 1858/65, ubi seriei primatum Gnesnensium additae sunt effigies Varsaviensium antistitum; in contextu tamen nil de quadam translatione tituli prolatum est.

²⁴⁶⁾ Cf. adnot. 5 et Przegląd Katolicki, Warszawa 1925.

esse memoratur, Varsaviensis civitas „totius Regni Poloniae princeps primis magistratum ordinibus...“ praefulgere dicitur, unde „ob sui etiam antistitis praerogativas habitumque prae ceteris honestetur“, quasi verbis „totius Regni Poloniae“ antiqua Respublica in toto suo ambitu comprehendatur, praesertim cum et imperator Alexander I uniendis sub sceptro suo omnibus terris Poloniae intentus fuerit. Eiusmodi spes in eo posita nil hic valet, re ipsa illi confidentes fefellit. Terminus vero „Regnum Poloniae“ strictius in bulla „Ex imposita nobis“ anni eiusdem exponitur: „ecclesias Polonici Regni, quod in praesens dominatui subest.... Alexandri Russorum imperatoris ac Poloniae regis“ — sensu igitur istius regni, quod in congressu Viennensi sub potestate imperatoris Russiae constituendum decretum erat. Vix huiusmodi obiectiones essent tractandae, nisi re ipsa quadam ex parte essent propositae.

Ceterum et hic respiciendum est Sedem Apostolicam habito respectu primatialis praerogativae ecclesiae Gnesnensis concessioni illius privilegii omnino restitisse, denique vero solummodo titulo primatiali (ac vestimenti purpurei indulto) Varsaviensem sedem insignivisse, expresse praecisa eidem non solum quavis iurisdictione, sed etiam auctoritate et quovis iure primatiali ultra ea, quae ex solo metropolitano gradu ei competenter. Quodsi tenor concessi tituli similitudinem pree se fert tituli sedis Gnesnensis, stante antiqua Respublica usitati, analogiam praebent exempla sedium primatialium Hiberniae et Angliae. Ex concesso tamen sedi Varsaviensi solo titulo primatiali, sine ullo iure et auctoritate maiore, secundum antiquum ius Ecclesiae ante novi Codicis promulgationem vigens nec ullum ius praedentiae pree aliis archiepiscopis deduci potuit. Quo factum est, ut in elenco omnium praelatorum Concilio Vaticano adesse ius habentium, in Actis Sanctae Sedis anno 1890 publicato²⁴⁷⁾, Varsaviensis metropolita Sigismundus Feliński non primatum, sed archiepiscoporum ordini insertus sit.

Inconcussa tamen permanerunt annexa ab antiquo sedi Gnesnensi et titulus et auctoritas et ius primatiale, quae etiam deinceps Sedes Apostolica agnoscebat.

2. 1821—1918.

Occupatis iterum post congressum Viennensem terris M. Ducatus Posnaniensis regimen Borussicum archiepiscopis Gnesnen-

²⁴⁷⁾ vol. 5, p. 516.

sibus usum tituli primatialis non admisit, immo cassationi ipsius archiepiscopatus summopere intendit, tantum Posnaniensem episcopatum in Ducatu isto cupiens retinere. Quodsi consilium illud regiminis Borussici exoptatum finem non est consecutum, non solum protestationibus gentis Polonae, nimis attentata matricis ecclesiae suae supressione perturbata, sed potissimum Sedis Apostolicae firmae constantiae tribendum est. Quo factum est, ut archiepiscopatus Gnesnensis cum Posnaniensi unioni personali coniunctus generaliter in omnibus suis iuribus et privilegiis vigore bullae Papae Pii VII „De salute animarum“ de d. 16. VII. 1821 conservatus sit. Quod vero ibidem nulla praerogativa eius primatialis facta est mentio (procul dubio expetente id regimine Borussico), nihil inde in praeiudicium eiusdem ecclesiae evenit.

Non admissum ab eodem regimine titulo primatiali, nimis periculo ei viso²⁴⁸⁾, utebantur tamen archiepiscopi Gnesnenses titulo legationis natae, ratione primatiatus quondam a papa Leone X antecessoribus eorum superaddito intimeque cum illo connexo. Nihilominus tamen aliquotiens saltem coram Ecclesia et primatiali titulo praerogativaque ista fruebantur.

Primis post annum 1815 decenniis, introducto placeto regio, adempta facultate liberae cum Curia Romana communicationis (usque ad a. 1840), durissimae insuper oppressionis ecclesiae a regimine civili adhibito systemate, nulla sese obtulit archiepiscopis facultas vindicandae primatialis suae auctoritatis, ubi sedes illa a ceteris Poloniae ecclesiis atque a Sede Apostolica quodammodo erat reclusa. Aegre laborabat etiam diutius ecclesia Gnesnensis tardius procedente negotio ordinandi omnia ad mentem bullae circumscriptivae, cui rei a regimine civili plurimae obiciebantur difficultates²⁴⁹⁾.

Supervenerunt notae illae de matrimonii mixtis cum regimine civili contentiones archiep. Martini Dunin eiusque captivitas.

Primorum post a. 1821 antistitum Gnesnensium²⁵⁰⁾ nulla exstant in Archivo Archidioecesano acta correspondentiae secretae,

²⁴⁸⁾ Tempore archiep. Stablewski gubernium civile loco „Proprii Regni Poloniae“ Gnesnense proprium in officio introducendum petivit!

²⁴⁹⁾ Hoffmann o. c., P. 2.

²⁵⁰⁾ 1821/25 Timotheus Gorzeński, 1825/29 vacans, 1829 Theophilus Wolicki, 1830/42 Martinus Dunin, successor eius Leo Przyłuski demum 21. X. 1844 electus, 20. I. 1845 confirmatus et 25. IV. consecratus.

unde nihil colligi potest, num et in quantum primatiale suam auctoritatem vindicaverint eaque sint usi.

Plurima tamen eius rei argumenta praebent asservata in praedicto archivio acta secreta archiepiscopi Leonis Przyłuski (1845—1865). Praecipuus hic praelatus, quamquam et ipse permultis ecclesiae sua premebatur indigentiis et difficultatibus, tamen conscientius competentis sibi auctoritatis primatialis et provenientium inde officiorum per totum pontificatus sui tempus negotia totius Poloniae ecclesiae gravissima ac imprimis illarum partium, quae sub Russica constitutae ditione miserrimo tunc, etiam post concordatum anni 1847, afflictæ erant iugo, summo amplectebatur studio atque zelo. Antistites autem ultro arctiorem cum eo tamquam primate suo petebant connexum atque ipsi vel per alios, laicos quoque generosos et fideles, saepius eum informabant. Quibus de negotiis praecipue ab a. 1847 Sedem Apostolicam sua sponte vel etiam rogatus plenius informabat, ipse quoque ad antistites illos variis in negotiis ecclesiasticis sese dirigebat. Sedes Apostolica istarum partium negotia saepius secrete ei demandabat ab eoque informari non omittebat, imprimis etiam de promovendis ad sedes episcopales²⁵¹⁾.

Haud mirum, quod et Varsaviensis metropolita Sigismundus Feliński, optime de ecclesia meritus, ineunte anno 1861 ante sollemmem ad cathedram suam ingressum antistitem Gnesensem personaliter adire eiusque consilia expetere consentaneum duxit²⁵²⁾. Biennio post inter nimis afflictam tunc ecclesiae et gentis nostræ istarum partium conditionem Primas litteris d. 20. XII. 1862

²⁵¹⁾ Huc spectant asservata in Archivo Archid. Posn.: Acta secreta: Secreta archiep. Przyłuski (sine sign.), Corresp. cum Sede Apostolica ac Nuntiaturis Viennensi et Monacensi P 37 et P 71 („Personalia archiepiscopi“), Gen. 51, Gen. 160, F. 3 vol. II, tum Generalia Archiepiscopi vol. II—V, Miscellanea n. 66, vol. XIV—XVI. — Acta eius secreta non videntur esse completa, cum annorum 1857—1861 omnino perpaucæ exstant litteræ. Suborto gravissimo sub finem pontificatus sui cum regimine conflictu archiep. Przyłuski nonnulla acta secreta in praedio dni Mycielski asservabat, quae post obitum eius administratori dioecesis extradita sunt. — Praeter negotia ecclesiae ditionis temporalis Russiae interdum etiam causæ ecclesiarum Minoris Poloniae inveniuntur.

²⁵²⁾ Pelczar J. S. ep., Pius IX i Polska, Miejsce Piastowe 1914, p. 43: „Do Warszawy (die 26. I. 1861 Petropoli consecratus) przybył arcyb. Feliński w lutym, i to na Poznań, gdzie naradzał się z prymasem Przyłuskim, i na Częstochowę...“.

ad praedictum metropolitam Varsaviensem eiusque suffraganeos sese direxit, in quibus palam innitendo sedis suae Gnesnensis auctoritati primatiali uberius nimiam cleri agitationem atque etiam conspirationem politicam, in quantum insana erat commodoque vero et ecclesiae et nationis Polonae adversari videbatur sapienti consilio suo compescendam cessionemque a divinis multis inibi locis diutius protractam omnino tollendam suasit atque cordibus eorum iniunxit²⁵³⁾. Quibus litteris grate acceptis ipse metropolita Varsaviensis litteris suis de d. 27. I. 1863 nimis adversis istis temporibus mutuum auxilium consiliumque ab illo expetivit²⁵⁴⁾.

Referendo vero Sedi Apostolicae de rebus ecclesiae Polonae nonnunquam, in quantum habito respectu regiminis Borussici licuit, similiter haud ambiguis verbis ad primatalem sedis suae Gnesnensis auctoritatem provocabat, e. gr. in littoris ad Papam Pium IX de die 31. III. 1859 in variis negotiis ecclesiasticis ditionis Russicae: „urget (me) charitas christiana, urget arctissima (illarum partium) cum sede mea Gnesensi antiqua coniunctio“²⁵⁵⁾, vel in relatione d. 27. IX. 1862 inter alia dioecesim Tarnoviensem et Premisliensem concernente: „...permotus fiducia, quam in me ponunt christifideles tamquam in successore — minime digno — sancti Adalberti...“²⁵⁶⁾, vel die 19. IX. 1862: „Catholici incolae M. D. Lithuaniae et Russiae Albae cum audissent episcopos orbis terrarum ad concelebrandam canonisationem Martyrum Japonensium Romam esse invitatos, aegre tulerunt, quod nemo ipsorum nomine fidem et communionem cum

²⁵³⁾ Lisicki, Aleksander Wielopolski, Kraków 1878 t. 1, p. 372: „...glossa prymasa Kościoła polskiego, który wstrząsnęły dochodzącemi go wieściami odniósł się do arcybiskupa warszawskiego....“ Ex tenore vero istarum litterarum (ibid.): „Nie zadziwisz się pewnie JWPan, że się sam z siebie odzywam. — Wiek mój podezły, długie doświadczenie, wieleletnia praktyka pasterskich obowiązków, wierna służba krajowi, z resztą tradycja katedry, na której z miłością Bożego zasiadam, ośmienią mnie do tego i z wielu względów mnie upoważniać się zdają“. Advertendum est ea verba scripta esse post acta coram Summo Pontifice occasione canonisationis Martyrum Japonensium a. 1862 (cf. inferius).

²⁵⁴⁾ Archiv. Archid. Posn. (item omnia inferius citata acta nisi aliud notetur), Gen. 121, vol. 1.

²⁵⁵⁾ R 24.

²⁵⁶⁾ Akta sekretne arcyb. Przyłuskiego, fol. 180.

S. Sede Apostolica... constantissime servari testaretur... Hinc factum est, ut memores arctissimae coniunctionis suae cum antiquissima ecclesia metropolitana Gnesensi me cum prece adierint, quatenus subiectionem et dilectionem filialem minime concussam aut intermissam nuntiarem humillimamque illorum nomine supplicationem Sanctitati Vestrae ulterius exponerem“²⁵⁷⁾.

Ad facilius exsequenda ea, quae auctoritatis eius erant primatialis, archiep. Przyłuski priusquam ad sollemnitates definiendi dogmatis Immaculatae Conceptionis B. Mariae V. Roman proficeretur, etiam apud gubernium Borussicum causam iuris sui primatialis movit, formaliter tamen, cum ipse titulus primatialis nimis exosus ac nullatenus admittendus eidem esset, ut saltem sub legationis natae titulo, ad mentem bullae Leonis X a. 1515, praerogativa sua uteretur. Responsum regiminis Berolinensis, in actis nostris non asservatum, procurator eius can. Rychter archiepiscopo Romae iam degenti transmisit, ut Summo Pontifici rem exponeret. Ex litteris tamen eiusdem canonici (Posnaniae, 2. XII. 1854) ad archiepiscopum datis apparebatur gubernium illud tum titulum legati nati (!) tum praerogativam ecclesiasticam et iura eiusmodi agnovisse, nullatenus tamen quaevis privilegia politica²⁵⁸⁾. Negotium illud procul dubio archiepiscopus Przyłuski Papae Pio IX exposuisse et, quamvis propriae ecclesiae permultis difficultatibus pressus, primitialis suae auctoritatis in audience ei concessa approbationem obtinuisse videtur, ubi exinde Sedes Apostolica etiam expresse eam agnoscebat.

Quinquennio post ipsa Curia Romana titulum primatialem nomini eius apposuit. Subscriperat archiepiscopus Przyłuski una cum aliis antistitibus ditionis Borussicae a. 1859 mense Novembri celebri illo memoriali pro defendendo temporali dominio Summi Pontificis ad principem regentem Borussiae Guillelmum dato; cui quidem subscribens archiepiscopus minime titulo suo primatiali usus est. Sedes vero Apostolica memoriale illud, per orbem christianum divulgandum, in alias etiam linguas verti cu-

²⁵⁷⁾ Ibid. f. 176.

²⁵⁸⁾ Acta archiep. Przyłuski secreta, P 37: „Z treści odpowiedzi pp. ministrów pochodzi tyle, że „titulum“ (scil. legati) przyznają, „rem“ zaś tylko o tyle, o ile się tyczy Kościoła św., konsekwencje polityczne wyraźnie odmawiają“. Quae fuerit ista causa momenti politici, omnino nos latet.

ravit et sic publicavit ipsaque e. gr. in versione sua Italica titulum „*Primate di Polonia*“ archiepiscopo Przyłuski superaddidit^{259).}

Manifesto ab ipso Summo Pontifice primatialis dignitas sedis Gnesnensis recognita respectaque fuit in sollemnitate canonisationis martyrum Japonensium m. Junio a. 1862, cui memoratus archiepiscopus Przyłuski interfuit. Cum secundum obser-vatam antiquam consuetudinem Romanam in conciliis aliisque antistitum conventibus solummodo primatibus orientalibus seorsivae sedes essent concessae, archiep. Przyłuski sicut et alii pri-mates latini e. gr. Strigoniensis et Dublinensis, in consistorio inter archiepiscopos locum (nonum) iuxta senium obtinuit^{260).} Attamen in solemni officio canonisationis Summus Pontifex delectis duo-decim archiepiscopis in assistentes throni Constantinopolitanum primatem rit. arm. Hassun et archiepiscopum Gnesnensem Przyłuski tamquam primatem totius Poloniae immediate a dextris et e sinistris throni sui sedibus primis honorari dignatus est tamquam occidentalis et orientalis ecclesiae antistitum cum Romano Pontifice congregatorum repraesentantes. Quod tunc re ipsa Papa Pius IX primatialis dignitatis sedis Gnes-nensis rationem habuerat, etiam inde patet, quod isto in officio praecedentiam concederat ei ante Albiensem archiepiscopum, quamvis et episcopatu et metropolitani dignitate seniorem, qui

²⁵⁹⁾ Koresp. z Rzymem R 24 — exemplar praedictae versionis Italicae: „Domanda dell' Episcopato Prussiano al Principe Reggente di Prussia“... Novembre 1859, traduzione di Monsignor Francesco Nardi editore di S. Rota. Subscriperunt antistites occidentalium partium istius regni, deinde — „Leone Przyluski, Arcivescovo di Posnania et Gnesna (Primate di Polonia)“, denique alii antistites antiqui Regni Poloniae: Vratislaviensis, Cul-mensis, Varmiensis. Versionem illam a Sede Apostolica esse publicatam apparel ex litteris archiep. Coloniensis card. Geissel d. 23. I. 1860 Posna-niam transmissis una cum latina versione, cuius tamen exemplar non invenimus in actis („anliegende in Rom publizierte Uebersetzung unserer Adresse“) — l. c. — Originale illius memorialis in Germanica et Franco-Gallica lingua editum erat.

²⁶⁰⁾ Cf. seriem antistitum illorum in memoriali die 8 Junii e. a. in consistorio a card. Mattei Summo Pontifici porrecto — La Civiltà Catto-lica a. 13, v. 2, p. 730 sq.; Le Monde 1862, nr. 84; Tygodnik Katolicki t. 3, p. 249. Subscribentes etiam alii primates titulo isto non sunt usi. — Parisienses ephemerides „Le Monde“ (1862 nr. 81) enumerando antistites Ro-mam adventantes, Salisburgensem, Gnesnensem et Dublinensem immediate post cardinales, ante alios archiepiscopos afferunt, optime igitur de eorum primatiali dignitate informatae.

et in consistorio Gnesnensem senio praecesserat²⁶¹⁾). Similiter etiam ex aliis occasionibus utpote concessae audientiae atque in coena Summus Pontifex manifesto dignitatis primatalis antistitis Gnesnensis respexerat ac singulari eum honore et gratia prosecutus est. In audientia die 3 Junii archiep. Przyłuski itidem praecipuis honoribus tamquam pater et interrex infelicis gentis Polonae receptus ex auctoritate sua primatiali Sanctissimo Domino totius nationis nostrae oboedientiam praestitit lacrimabilemque ecclesiae et gentis eiusdem conditionem exposuit atque ex ore eximii illius Poloniae amici, protectoris defensorisque memorabilia consolationis, fiduciae ac benedictionis verba pro cuncto populo nostro tulit²⁶²⁾). Quae res publice tunc Romae innotuerunt ab omnibusque archiep. Przyłuski Primas Poloniae appellabatur. Praecipue autem summo cum gudio et consolamine gentis nostrae divulgabantur ea omnia passimque Summo Pontifici grates habebantur pro gratia et honore patri et primati eius impertitis. A cunctis etiam diversarum Poloniae partium fidelibus, tum ab exteris, denique a catholicis linguae Germanae archiep. Przyłuski, sicut nonnunquam antea, ac praecipue in ephemeredibus publicis primas Poloniae intitulabatur²⁶³⁾). Ex antistitibus Poloniae Vladislaviensis ep. Marszewski et Luceoriensis s. Żytomiriensis Borowski iam Romae tunc praesentes pro primate suo eum habuerunt debitamque reverentiam ei praestiterunt²⁶⁴⁾). Post redditum vero archiepiscopi ex Urbe inter alios etiam Tarnoviensis episcopus Wojtarowicz et provincialis ac monachi conventus Częstochowiensis, antea etiam capitulum Kalisiense in litteris suis primatalem titulum ei apposuerunt²⁶⁵⁾.

²⁶¹⁾ Joannes Jerphanon consecratus erat in episcopum St. — Dié d. 6. IX. 1835, ad Albensem archiepiscopatum translatus 27. I. 1843 (G a m s, Series episcorum eccl. cath., Ratisbonae 1873, p. 617, 485). Przyłuski vero ad Gnesnensem electus 21. X. 1844, confirmatus d. 20. I. 1845.

²⁶²⁾ Czas 1862 nr. 133, 134, 138, 139, 143; Tygodnik Katolicki t. 3, p. 234, 252 sq., 300 sq., 310 (relationes Leopolienses), 319 (rel. Romanae), 338 sq., 367; Pełczar, Pius IX i jego pontyfikat, Kraków 1888, t. 2, p. 371; Idem, Pius IX i Polska, p. 45, p. 106 sq.

²⁶³⁾ Archiv. Archid. Posn., P 37, P. 71, Gen. 66, vol. 13, Generalia Archiepiscopi vol. IV—V; cf. adnot. 262. — E litteris exterorum affere liceat illas a principe Massimo Romae d. 26. VII. 1862 datas (P. 71).

²⁶⁴⁾ Czas nr. 139.

²⁶⁵⁾ Generalia Archiep. vol V sub data 1. VII., 3. X., 9. X., 1. XI. 1862, et Gen. 66, v. XII, d. 17. XI. 1857 et passim.

Ipse archiepiscopus in supplicatione oblata Summo Pontifici, ut capitulum suum Gnesnense vestimentis violaceis ad instar episcopalium insigniret, aperte primatalem illius suae ecclesiae dignitatem memoravit, cui Summus Pontifex benigne annuens praeter breve istius indulti gratiosas litteras ipsi archiepiscopo transmisit²⁶⁶⁾.

Quibus omnibus iam vere fidedigna apparet allata tunc temporis ex Urbe ac per litteras ephemerides divulgata relatio Summum Pontificem tunc expresso verbo dignitatem et auctoritatem primatalem antistitis Gnesnensis agnovisse suaque voluntatis esse manifestavisse, ut et deinceps tamquam Primas gravissime afflictum ecclesiae Polonae statum respiceret de eoque ad Sedem Apostolicam continuo referret²⁶⁷⁾.

Optime de iisdem rebus apud Curiam Romanam tunc actis informatum erat etiam regimen Borussicum. Delegatus eius apud Sedem Apostolicam Kanitz iam in Urbe archiepiscopo Przyłuski indignationem suam manifestaverat²⁶⁸⁾.

²⁶⁶⁾ Archiv. Capituli Posn., Przywileje rzymskie nr. 28; Korytkowski, Prałaci i kanonicy t. 1, p. 329: „Ecclesia Gnesnensis primatiali et legationis natae olim a Sede dignitate ornata et certe in Concilio Constantiensi qua talis agnita, etiam nunc splendet inter omnes ecclesias nationis Polonicae“.

²⁶⁷⁾ Czas 1862 nr. 139 de d. 10. VI., Roma: „Ojciec święty ze swojej strony świadczył osobliwe wzgłydy arcybiskupowi gnieźnieńskiemu i przyjmował go jako prymasa Korony i Litwy. W chwili kiedy Polsce zaprzeczązą zewsząd prawa do jedności i do samoistnego bytu, ważną jest zaiste rzeczą, iż Stolica Święta jedność, tę niepodległość kraju naszego uznaje i stara się wszelkimi sposobami wskrzesić i utwierdzić prymasowską Arcypasterza powagę. Jakoż Ojciec św. pragnie, ażeby X. Przyłuski władzę swą i kontrolę ile możliwości nad całym Kościółem polskim rozciągał i żeby wszyscy biskupi i duchowieństwo naszego kraju widziało w nim swojego naczelnika i głowę, tak jak za czasów Rzeczypospolitej Polskiej bywało. Wiemy, iż X. Borowski, a nawet X. Marszewski uznali obydway prymasowską powagę arcybiskupa gnieźnieńskiego i hołd mu natychmiast złożyli. Zresztą papież wyraźnie swoją wolę w tym względzie oświadczył i rzekł, iż arcybiskup gnieźnieński jest zawsze prymasem Polski i że chce, ażeby za takiego przez wszystkich Polaków duchownych i świeckich był uważany... W dzień kanonizacji... X. Przyłuski stał na pierwszym stopniu tronu papieskiego naprzeciw prymasa ormiańskiego w Carogrodzie; inni arcybiskupi stali niżej. U stólu papieskiego podobnież arcybiskup gnieźnieński między prymasami siedział“. — Etiam card. Kakowski archiepm. Przyłuski in litteris suis pastoralibus a. 1917 primatem Poloniae appellat (cf. inferius).

²⁶⁸⁾ Czas 1. c.

Cum autem post splendidam eius apud utramque ecclesiam cathedralem receptionem celeberrimumque eius in Posnaniensi ecclesia sermonem (13. VI. 1862) de agnita confirmataque a Summo Pontifice dignitate eius primatiali manifesta in foliis publicis fierent verba, praeses regiminis Posnaniensis archiepiscopum aggressus, quasi de expresso eius mandato aut ab ipso inspirata ea omnia fierent, id petivit, ut iisdem de rebus responderet finemque iis imponeret²⁶⁹⁾. Vere prudenti dato responso archiepiscopus summa cum indignatione sese illa inspiravisse facile potuit refutare, ubi res iam Romae publici facta erat argumenti. Reticendo alia adlegavit se in Consistorio inter archiepiscopos nonum locum obtinuisse. Denique ostendit se titulo primatiali non usum esse fidelitatemque regi servasse, interna vero sua consilia atque omnia apud Sedem Apostolicam gesta fusius explicare omnino recusavit²⁷⁰⁾. Sic provide fuit respondendum et a tituli primatialis usu abstinendum, ne nova inde gravamina ecclesiae supervenirent.

²⁶⁹⁾ Acta archiep. Przyłuski P 71, fol. 244, 269—271 — binae litterae praesidis regiminis de d. 4. et 14. VII. 1862, in ultimis inter alia: „Ew. Erzbischöfliche Gnaden nähmen für sich die Stellung eines Primas von Polen in Anspruch und seien in dieser Stellung auch von dem Papste bei Ihrer Anwesenheit im Rom anerkannt worden“.

²⁷⁰⁾ Ibid. fol. 245 et 272 responsa archiepiscopi, i. a.: „Mündlich habe ich Ew. Exzellenz die Versicherung gegeben, dass ich mir den Titel eines Primas von Polen nie angeeignet habe. Durch diese schriftlichen und mündlichen Erklärungen... habe ich diese Angelegenheit für erledigt gehalten und nicht geglaubt, dass von mir noch weitere Auskunft verlangt werden würde. Am wenigsten habe ich erwartet, dass Ew. Exzellenz... über Meinungen und Gedanken Aufschluss verlangen würden... Die Zumutung... man würde unzweifelhaft in tendenziöser Weise ausbeuten, dass ich selbst zu der Benennung Primas Veranlassung gegeben habe... verletzt zu tief meine Person und Stellung, dass ich mich für verpflichtet halte, nicht nur Verwahrung dagegen einzulegen, aber auch die in dem geehrten Schreiben vom 14. v. Mts. gewünschte spezielle Auskunft nicht zu erteilen“. Anno sequenti data occasione cuiusdam articuli in foliis publicis „Przyjaciel ludu“ iterum res illa vertebatur (l. c. fol. 302—305 — cf. etiam Archiwum Państwowe w Poznaniu: Nacz. Prez. XXIV. E. III. 808 fol. 111, 117 s., 144, 160—170, 188, 193, 237 et passim). Abhinc tamen mutuae relationes archiepiscopi ac regiminis Borussici magis adversae factae sunt, unde regimen non accepto a Sede Apostolica consilio cassandae sedis Gnesnensis novaeque metropolis Berolini ergendae id expetivit, ut archiep. Przyłuski ad Curiam Romanam cardinalitia dignitate insigniendus (pro negotiis ecclesiae

Similiter e Secretariatu Status regimini Borussico inter longiores disceptationes, summa rei prorsus praetermissa, tantum ordo praelatorum in memorato Consistorio servatus oblatus est. Ceterum haud deneganda archiepiscopo sola dignitate primatiali (absque iurisdictione usque ipsius tituli) regimen tunc acquiescisse videtur, a delegato suo Romano, barone v. Kanitz certius factum ipsius Strigoniensis sedis primatiatum, utrum iurisdictionis an honoris tantum esset, minime patere (?), sed adhuc eam rem accuratius inquire ²⁷¹⁾.

Ab anno vero 1862 archiepiscopus Przyłuski adhuc diligenterius efficaciusque curam ecclesiae totius Poloniae, quam in solennitate illius canonisationis ex auctoritate sua primatiali repraesentaverat, ad mentem Summi Pontificis, in quantum potuit, exhibuit, qua in re iam tunc auxilium suum praebuisse videtur Joannes Koźmian, quo deinde successor eius pro negotiis ecclesiae ditionis Russicae peragendis utebatur.

Abhinc tamen negotium primatiatus Gnesnensis semel suscitatum per totum reliquum praeteriti saeculi spatium tum in foliis publicis tum in parlamento Berolinensi agebatur, praecipue vero sub archiepiscopatu Card. Mieczislai Ledochowskij (1865—1886). Iam data occasione translationis eius ad sedem istam res summae actualitatis facta est, hinc indeque diutius vertebatur. Ipse praestito regi fidelitatis iuramento aliquam cum ministro Mühler desuper conniventiam iniisse videtur ²⁷²⁾). Nihilominus tunc maxime et tituli et iuris auctoritatisque eius primatialis actualis usus manifestus apparuit ac potissimum in Concilio Vaticano. Ubi cum habita ratione protestationis primatis Strigoniensis Papa Pius IX etiam Ecclesiae occidentalis primatibus, pro ea tantum vice, precedentiam prae ceteris archiepiscopis in concilio concessisset, magistri caeremoniarum Concilii, a Summo Pontifice constituti, archiepiscopo Gnesnensi sine ulla difficultate aut restrictione, oblatu ab eo privilegio Benedicti XIV a. 1749, inter primates locum Poloniae) vocaretur ipsique coadiutor constitueretur (Pelczar, Pius IX i Polska, p. 107 sq.); Selchow o. c., p. 4 ssq.).

²⁷¹⁾ Archiwum Państwowe w Poznaniu I. c. nr. 808, fol. 248 sq.

²⁷²⁾ Vid. Selchow Bogislav v. Baro, Der Kampf um das Posener Erzbistum 1865, Marburg a. L. 1923, p. 144, cf. ib. 134—145, et de causa archiepiscopi Przyłuski p. 1 ssq.; prolata tamen ab autore, imprimis ex archivo status Borussici deprompta, palam regiminis illius partes sequi haud mirum est.

assignaverunt, quamvis aliis tribus demum post interpositam ad iudices querelam ac reservato iure experiendi valoris tituli in forma iudiciali eundem tribuerunt²⁷³⁾. Sic archiepiscopus Ledochowski fruebatur in concilio sede inter primates²⁷⁴⁾ tituloque „Primatis Poloniae“ in actis eius denominabatur iisque ita subscribebat²⁷⁵⁾. Denique etiam in elenco omnium ad concilium venire ius habentium, in Actis Sedis Apostolicae anno 1890 publicato, itidem primatum seriei adnumeratus est²⁷⁶⁾.

Ad primatalem sedis suae Gnesnensis praerogativam adhuc vigentem praelibatus antistes iam ante concilium Vaticanum, provocabat v. gr. in litteris ad Card. Milesi d. 31. I. 1867 Romae datis, in quibus in negotio quodam Collegii Polonici in Urbe primatialis sedis Poloniae antistitem se appellat²⁷⁷⁾ Saepius tamen ipso titulo Primatis Poloniae post concilium utebatur v. gr. in actis visitationum canonicarum utriusque suae archidioecesis a. 1871 et sequ.²⁷⁸⁾ vel in litteris e carceribus Ostro-

²⁷³⁾ Videlicet Antibarensi, Mechlinensi et Salernitano archiepiscopis, cf. Concilium Vaticanum, Acta et decreta sacrorum conciliorum recentiorum. Collectio Lacensis, Friburgi Brisg. 1890, t. 9, p: 34 sq., adnot. 1.

²⁷⁴⁾ Concil. Vatic. I. c. col. 35, 56, 258, 489. — Korytkowski, Arcybiskupi gnieźn. t. 1, p. 139 omnino erronee exhibet sedem inter primates archiepiscopo Ledochowski concessam fuisse quadam cum restrictione, quod quidem solummodo ad generalem Papae Pii IX in constitutione „Multiplices inter“ reservationem referendum est, ne etiam in posterum primates in conciliis ad seorsivas sedes ius sibi vindicarent (Concil. Vat. col. 19). Nullius protinus specialis quoad sedem Gnesnensem restrictionis nec in actis Concilii nec in litteris ipsius primatis Ledochowski ad praelatum Joannem Koźmian ex Urbe datis invenitur vestigium; in litteris e. gr. de d. 30. XI. 1869 scripsit archiepiscopus: „Cette fois-ci, mieux qu'au Concile de Trente, on a reconnu le droit de préséance aux primats occidentaux à l'égal de ceux de l'orient, et nous précédons les archevêques. J'ai pris déjà ma place ce matin au 1-er sermon de l'Avent. Ma pourpre n'est sujette à aucune contestation, je n'en ferai usage que rarement, car c'est incommodé à Rome, ou que cela oblige à un train plus coûteux. Salzbourg porte toujours la sienne, mais les revenus ne sont pas les miens“ (Archiv. Archid. Posn., Litterae card. Ledochowski ad prael. Joanneum Koźmian nr. 67; cf. nr. 56 de d. 9. XII. e. a., ubi Primas refert se propter absentiam duorum primatum primum a sinistris throni sedem cepisse).

²⁷⁵⁾ Concil. Vatic. col. 923, 925, 979.

²⁷⁶⁾ Vol. 5, p. 516; de archiepiscopo Varsaviensi cf. superius p. 681.

²⁷⁷⁾ Archiv. Archid. Posn., Acta Archiep. Gen. 288, Kolegium Pol. w Rzymie.

²⁷⁸⁾ Ibid., Gen. 286 vol. IV passim.

viensibus a. 1874 emanatis²⁷⁹). Etiam coram Summo Pontifice primatialem sedis suae Gnesnensis dignitatem vindicavit, utpote in supplicatione die 10. II. 1871 Posnaniae data²⁸⁰) vel in sollempni allocutione ad Papam Leonem XIII a. 1883 habita, cum celeberrimam Joannis Matejko imaginem, victoriam Joannis Sobieski regis Poloniae a Turcis apud Viennam reportatam representantem, nomine totius nationis Polonae tamquam primas eius una cum artifice et delegatis gentis nostrae eidem offeret oboedientiamque praestaret: „Sine, Beatissime Pater, Te exorem, ut primatialis in patria mea ecclesiae episcopus sistam Tibi Polonorum legatos huc eo consilio venientes...²⁸¹).

Etiam in litteris Curiae Romanae archiepiscopus prae-fatus titulo primatiali denominabatur, v. gr. in supplicationibus a. S. Poenitentiaria d. 13. I. 1871 et a Congregatione Concilii d. 25. XI. 1872 Romae exaratis Summoque Pontifici oblatis („L'Arcivescovo Primate di Gnesna e Posnania“²⁸²).

Plurimae exstant in Archivo Archidioecesano Posnaniensi asservatae litterae, in quibus card. Ledochowski primatiali titulo insignitur et pro primatate totius Poloniae habetur, Institutorum Pontificiorum, Cardinalium, antistitutum, cleri, laicorum diversarum partium orbis christiani²⁸³). Quarum in numero reperiuntur plurimae antistitutum ac cleri populique totius Poloniae. Cracoviensis episcopus, post cardinalis Albinus Dunajewski, litteris suis de d. 9. XII. 1883 cardinalem Ledochowski petivit, ut memoratam Joannis Matejko imaginem tamquam primas nationis Polonae Summo Pontifici una cum delegatis offeret oboedientiamque praestaret²⁸⁴). Similiter primatem suum eum habuerunt sicque intitu-

²⁷⁹) Ibid., Litterae card. Ledochowski dissolutae.

²⁸⁰) Ibid., Gen. F 2, Acta facult. Rom.: „Beatissime Pater. Antiqua hic viguit consuetudo, quam tamen recenter cognovi, ut utriusque Curiae meae primatialis et metropolitanae Gnesnensis et Posnaniensis officiales...“

²⁸¹) Ibid., Corresp. card. Ledochowski cum episcopis Poloniae; cf. Kurjer Poznański 1883 27. X., nr. 245.

²⁸²) Ibid. nr. 11567, Acta facult. Roman.

²⁸³) Quae litterae, numero aliquot milium, scriptae erant praecipue occasione certaminis eius de libertate ecclesiae, incarcerationis, ad cardinalatum promotionis, jubilaei sacerdotii et episcopatus.

²⁸⁴) Ibid. Listy biskupów polskich do kard. Ledochowskiego: „Spełniwszy wolę Waszej Eminencji, muszę dopełnić i życzenia delegatów; otóż

laverunt inter plurimos alios Leopoliensis archiepiscopus Wierzchlejski cum suffraganeis suis Tarnoviensi et Premisiensi d. 19. IV. 1873²⁸⁵⁾, idem cum capitulo suo ac capitulo ritus armeni d. 23. VI. 1881²⁸⁶⁾, Premisienses Hirschler et Solecki 1873 et 1882²⁸⁷⁾, Tarnoviensis episcopus 1886 21. I.²⁸⁸⁾, utriusque ritus Premisienses episcopi ordinarii cum auxiliaribus totoque clero²⁸⁹⁾, Varsaviensis (Lesnensis) praepositus ac nom. suffraganeus Plocensis Henricus Kossowski d. 5. VI. 1884²⁹⁰⁾, P. Jackowski S. J. 1886²⁹¹⁾, P. Petrus Semenenko C. R. d. 4. VIII. 1871 et 19. II. 1873²⁹²⁾). Commemorare liceat etiam singularis oboedientiae ac gratulationum litteras Leopoli et Cracovia a. 1876 ad eundem directas²⁹³⁾. Etiam in ephemeridibus aliisque publicationibus plurimis tam extraneis quam nostris (Czas, Dziennik Polski, Przegląd Lwowski etc.) Card. Ledochowski primas ecclesiae Poloniae intitulabatur ac celebrabatur, praecipue in Minorie Polonia sub Austriaca ditione consistente ac maiore libertate civili fruente. E quibus e. gr. „Przegląd Lwowski“, ab a. 1871 editus, semper primatem eum denominabat, ubi i. a. occasione celeberrimae illius primae post carceres audientiae Card. Ledochowski apud Papam Leonem XIII, facta mentione singularis Summorum Pontificum erga nationem nostram benevolentiae, eosdem post dirutum antiquum Regnum semper in persona primatis Gnesnensis totius gentis nostrae principalem repraesentantem Poloniaeque aliquando redivivae eiusque regalis dignitatis symbolum conspexisse²⁹²⁾.

oni mieli nadzieję i o to proszą, a będą i osobiście jeszcze prosić, abyś Eminencjo raczył jako Prymas przemówić w imieniu ofiarujących rodaków. Donoszę o tem, że jest to pragnieniem wszystkich“.

²⁸⁵⁾ Przegląd Lwowski 1873 t. 5, p. 704 sq.: „...Księże Arcybiskupie i Prymasie...“ — „...i sławą okryłeś episkopat polski, który w Tobie czci swego przedniejszego dostoójnika i przedstawiciela“.

²⁸⁶⁾ Cf. adnot. 284.

²⁸⁷⁾ Listy biskupów pol. do kard. Ledochowskiego.

²⁸⁸⁾ Ibid., litterae ep. Ignatii Łobos d. 22. 1. 1886: „...do Waszej Eminencji jako do Prymasa Kościoła Polskiego...“

²⁸⁹⁾ Ibid., telegramma de d. 15. 8. 1894: „...Primatem nostrum“.

²⁹⁰⁾ Ibid.

²⁹¹⁾ Archiv. Archid. Posn., Listy Jezuitów do kard. Ledochowskiego.

²⁹²⁾ Ibid., Acta Archiep., Gen. 288, nr. 1063, 385.

²⁹³⁾ Przegląd Lwowski 1876 t. 11, p. 269, 342, 344 ssq. (red. sac. Edu. Podolski).

²⁹⁴⁾ Ibid. p. 421 ssq.: „...W osobie prymasów naszych upatrują pieczę niepodzielną Polskę, a pod ich purpurą ukrytą jej królewską god-

Primalis dignitas antistitis Gnesnensis in Concilio Vaticano aliasque a Sede Apostolica manifesto recognita vigilantiam curamque regiminis Borussici minime evasit. Triennio post coeptum concilium ingravescente in regno illo ecclesiae persecutione etiam a regimine eius causa primatiatus sedis Gnesnensis in publicum deducta est. Arrestato enim praelato Posnaniensi Joanne Koźmian et protinus iniuste implicato conspirationi cuiusdam Westerwell, in mortem principis Bismarck directae, re vera ab ipsis magistratibus fictae, litterae omnes eiusdem praelati a gubernio retentae sunt, quibus diligenter examinatis archiepiscopo Gnesnensi iurisdictio primalis in ecclesiam terrarum Russicae ditionis concessa esse a Sede Apostolica ab eoque mediante praelato Koźmian exerceri dicebatur. Aliquot litteris Petropolim missis princeps Bismarck regimen Russicum ad interpellandum ea de re Curiam Romanam concitatavit. Cui aures praebens obnoxias cancellarius Russiae a negotiis externis princeps Gorczakow a Sede Apostolica causam illam ex officio explicandam petivit. Tum Secretarius Status Card. Antonelli dato in scriptis responso dignitatem primatalem omnibus archiepiscopis Gnesnensibus tamquam sedi annexam semper attribui omnino affirmavit, negavit tamen ullam cuivis iurisdictionem a Sede Apostolica in ecclesiam sub imperio Russiae consistensem esse concessam, vindicando tamen ius Curiae Romanae libere, etiamsi secrete, cum christifidelibus communicandi, nullatenus praelatum Koźmian huiusmodi negotia egisse dissimulavit²⁹⁵⁾). Sicuti iam archiepiscopum Przyłuski, etiam successorem eius Ledochowski,

ność... Dosyć, że Ojciec św. w osobie kardynała-prymasa w chwili jego przybycia do Wiecznego Miasta uczcił niejako zapoznaną oddawną królewską godność katolickiej Polski i dlatego polecił złożyć mu honory ukoronowanym głowom jedynie należne...“ — Ibid. 1873 (t. 5, p. 526 sq.) collaudando strenuum in defendendis iuribus ecclesiae virtutem primatis Ledochowski scripsit eximus sacerdos Sigismundus Golian: „Niemniej dlatego sumienie pierwszego polskiego Arcypasterza wystąpiło z całym majestatem, z całą potęgą swej nigdy nieprzedawionej królewskości“.

²⁹⁵⁾ Quod responsum Secretariatus Status primum divulgatum a „Correspondance de Génève“, optime ex ipsa Urbe informata, deinde etiam apud nos partim publicatum est; cf. Przegląd Lwowski 1872 t. 3, p. 502 sq., 1873 t. 4, p. 108 sq.: „...że godność prymasa otrzymywali dotąd wszyscy arcybiskupi gnieźnieńscy jako przywiązaną do ich stolicy, żadnego jednak nie mają oni zwierzchnictwa nad biskupami — tego nikomu Stolica św. tak w granicach jak i po za granicami Rosji nie udzieliła i udzielić nie może...“;

quamvis nullam proprie dictam iurisdictionem in ecclesiam illarum partium exercebat, tamen ex auctoritate sua primatiali per antedictum praelatum earum curam eum habuisse satis constat. Ceterum residens apud Sedem Apostolicam exul ille archiepiscopus Gnesnensis (1876—1886 Jan.), Card. Ledochowski omnium partium Poloniae a clero et laicis causas multiplices, ipsis eum tamquam primatem suum adeuntibus, apud eandem Sedem peragendas vel ei commendandas suscipiebat²⁹⁶⁾.

Ad sedandos Borussorum animos iis rebus nimis efflagitatos iam ante celeberrimam istam Secretariatus Status notam ephemrides „Germania“, fulciendo gravissimis nationis suae auctoribus iuris canonici, ultro concedebat titulum dignitatemque primatalem sedi Gnesnensi, ubi post dirutum antiquum Regnum a Summis Pontificibus minime esset ablata, adhuc esse annexam, sicuti et Salisburgensis ecclesiae dignitatem primatiatus Germaniae post dissolutum antiquum Imperium adhuc vigere²⁹⁷⁾.

Sic aliquibus vicibus ac sollemniter et manifesto a Sede Apostolica agnita et declarata primatiali dignitate ecclesiae Gnesnensis, continuo etiam diversarum nationis nostrae partium ac etiam ipsorum antistitum vocibus expressa, nullum deinde super eadem oboriri potuit dubium.

Quodsi respiciatur, quanta pietate semper natio Polona ecclesiam Gnesensem tamquam matrem suam antiquissimam ac caput omnium terrae nostrae ecclesiarum recoluerit, haud mirum, quod summo dolore erat afflita, cum post resignationem Card. Ledochowski de sede eadem Julio Dinder, quamvis erga Polonus omnino iusto ac benevolo, Germano tamen origine, pro visum esset²⁹⁸⁾). Eo maiore tamen omnium laetitia applausum

cf. etiam Pelczar, Pius IX i jego pontyfikat, ed. 2, t. 3, p. 169; idem, Pius IX i Polska, p. 80; Germania 1872 nr. 83, 122, 125, 126, 158; Kurjer Poznański 1872, nr. 158.

²⁹⁶⁾ Eius rei argumento sunt plurimae litterae in Archivo Archid. Posn. asservatae. — De Joanne Koźmian cf. Przegląd Lwowski 1887 t. 14, p. 382 ssq., 463 ssq., 531 ssq.

²⁹⁷⁾ „Der Primas von Polen“, Germania 1872, nr. 66.

²⁹⁸⁾ Abundantes ea de re ac imprimis de nationis nostrae diversarum partium tunc afflictione relationes in litteris com. Żółtowski, Vratislaviae 30. III. 1886, tum d. Ryński 4. II. 1886, P. H. Jackowski S. J., Cracoviae 11. III. 1886 ad Card. Ledochowski datis (Archiv. Posn.), tum in gravissimis foliis publicis.

est promotioni successoris eius Floriani Stablewski (1891—1906), cuius primatialis auctoritas inter omnes adeo erat manifesta, ut etiam a Germanis, ab aliis sincere, aliis haud sine quadam cura et anxietate praedicaretur²⁹⁹⁾. Ipsum eandem auctoritatem sibi vindicavisse inter omnes constat. Quae praecipue vero apud propriam gentem claruit, ipsis antistitibus eorumque capitulis tum plurimis laicis eximiis arctiorem cum eo tamquam primate suo communicationem ultro potentibus atque etiam titulo illo eum insignientibus, cuius rei asservatae in Archivo plurimae litterae argumentum praebent, quarum nominatim affere liceat litteras gubernatoris Galiciae com. Leonis Piniński, Ludovici Dębicki, qui multas ei de statu ecclesiae ditionis Russicae informationes transmittebat, dni Thullie, gubernii Galiciae, com. Fr. E. Węsierski, tum virorum excellentium in emigratione Dresnae, Londini etc. degentium, P. Smolikowski C. R., Collegii Pontificii in Polonici Urbe rectoris; archiabbatis monasterii Beuronensis P. Josphat Loserez 20. IX. 1893, apud quem tunc archiepiscopus Petropolitanus Kozłowski et Vladislaviensis antistes Bereśniewicz morabantur, Premisiensis episcopi J. Seb. Pelczar 1905 3. V., Leopoliensis capituli r. gr. sede vacante 1899 16. IV³⁰⁰⁾). Varsaviensis metropolita grandaevus meritorumque plenus Vincentius Popiel, singulari amicitia fraterna archiepiscopo Stablewski addictus, saepius consilium et auxilium eius adibat, v. gr. a. 1905 pro augmento litterarum suarum pastoralium ad fideles tunc editarum epistolam eius ad se directam in foliis diocesanis aliisque publicari petivit³⁰¹⁾.

²⁹⁹⁾ Berliner Börsen Ztg. 1895 27. IV. („Primas von Polen und designierter Kronwächter des wiedererstehenden Polenreiches“), Berliner Lokal Anzeiger 1906 26. 4., Berliner Tageblatt 1906 26. XI. („Fürst-Primas von Polen“).

³⁰⁰⁾ Archiv. Archid. Posn., Corresp. archiep. Stablewski, passim; Generalia archiep. Stablewski G 314, G 374; Acta Coll. Poloni in Urbe G 288; litt. com. Dębicki d. 1896 6. VIII. Cracoviae: „Najdostojniejszy z naszych książąt kościoła“, e. a.

³⁰¹⁾ Generalia archiep. Stablewski G 314 v. 2, nr. 1219/05. O.: „Z tego powodu śmialem prosić Najdostojniejszego Arcypasterza, czy nie byłby łaskaw pozwolić na wydrukowanie Swego pisma do mnie.... Łaskawość Waszej Arcypasterskiej Mości sprawiłaby więcej, niżli sam list, bo odezwanie się człowieka tej powagi i zasługi może zwycięży opieszałość młodzieży, lęk rodziców przed wrzaskiem ulicznym. Muszę tylko przestrzędz, że list w kopji musiałby uledz cenzurze rządowej“.

Qui pastor egregius non dignatus est, in quantum licuit habito respectu regiminum civilium utriusque partis, primatialem ecclesiae Gnesnensis auctoritatem concedere, e. gr. profitendo archiepiscopum minime otari in ista sede b. Adalberti, quae semper ecclesiae Poloniae praecessisset³⁰²⁾, vel alia vice, ecclesiam Gnesensem b. Adalberti fontem unitatis ecclesiae Poloniae denominando³⁰³⁾. Varsaviensia folia ecclesiastica „Przegląd Katolicki“ archiepiscopum Stablewski „Primatem Poloniae“ intitulaverunt³⁰⁴⁾, similiter aliae gravissimae publicationes tam civiles quam ecclesiasticae atque etiam curiarum dioecesanarum acta publica, similiter successorem eius, post plus quam octennium vacantis sedis ad eandem promotum, Eduardum Likowskiego (1914—1915) ac Card. Edmundum Dalbor (1915—1926), adhuc stante in M. Ducatu Posnaniensi regimine Borussico³⁰⁵⁾. Ipse etiam modernus Varsaviensis antistes in litteris suis pastoralibus de d. 16. IV. 1917 afferendo praeclera illa plenaque consolaminis ac fiduciae verba Papae Pii IX, quondam a. 1862 inter sollemnitates canonisationis Martyrum Japonensium ad tunc existentem antistitem Gnesensem Leonem Przyłuski dicta, eundem

³⁰²⁾ Archiv. Archid. Posn., Generalia archiep. Stablewski, Gen. 314, vol. 2, d. 12. VII. 1906: „Najdostojniejszy Pasterz nie późno jesteś na tej Wojciechowej Stolicy, która przewodniczyła zawsze naszemu Kościółowi“.

³⁰³⁾ Ibid., Litterae episcoporum Poloniae, 23. IV. 1897, in nongentisimam memoriam martyrii s. Adalberti: „...tem bardziej te uczucia odzywają się w sercach biskupów, chociaż z dalszych prowincji, którzy proszą Boga, aby przy dniu dziewiąćsetnej rocznicy utwierdzić ich w wierności służbie Państwkiej, w tem, do czego się zobowiązali względem powierzonych sobie owieczek, a przechowywali, jako drogi skarb, miłość i jedność, szczególnie z tymi biskupami, którzy w św. Wojciechu uznają sobie patrona i źródło tej jedności“.

³⁰⁴⁾ Przegląd Katolicki 1906, p. 782, 799, 815; 752: „Ojciec św.... wysłał przez kardynała Merry del Val telegram kondolencyjny i nakazał modły za duszę zmarłego Prymasa Polski“.

³⁰⁵⁾ Kronika Diecezji Przemyskiej VI, p. 386; Kronika Diecezji Kujawsko-Kaliskiej IX, p. 17 sq., 142 („Ks. dr. Dalbor obejmuje najwyższy urząd w Kościele polskim“); Miesięcznik Pasterski Płocki XIII, p. 221; Przegląd Powszechny nr. 394, p. 6; nr. 428/429, p. 193 („cały episkopat polski z prymasem, arcybiskupem gnieźnieńsko-poznańskim na czele, u grobu św. Wojciecha, jako kolebki naszego katolicyzmu polskiego i odwiecznego centrum naszej organizacji kościelnej“), etc.

„Primatem Poloniae“ appellat³⁰⁶⁾, unde et ipse Gnesnensis sedis primatialem dignitatem agnovisse dignoscitur.

Archiepiscopo Dalbor omnes Poloniae archiepiscopi iam a. 1915 ratione sedis eius Gnesnensis ultiro primum concesserunt locum, cuius rei manifestum praebent argumentum celebres illae ad omnes christiani orbis antistites pro sublevanda bello nimis ardue afflita patria nostra litterae, ab episcopis Poloniae die 15. VIII. 1915 editae, quibus Gnesnensis antistes, quamvis electus-confirmedatus, primus subscriptis, ante reliquos promotione seniores tres metropolitas duosque archiepiscopos titulares³⁰⁷⁾.

Sic emergente iam inter tristia magni belli fata spe indubia eliberandae uniendaeque patriae terrae olim disperitiae, totius Poloniae episcopatus in unum congregandi ultiro prima sese obtulit facultas cunctisque servato antiquo patriae more atque iure matrici eius ecclesiae Gnesnensi primaeva auctoritatis et praecedentiae concedenda videbatur praerogativa.

Abiecto tandem disreptorum Reipublicae iugo patriisque terris unitis Archiepiscopus Gnesnensis Edmundus Dalbor, post-hac S. R. E. Cardinalis, a. 1919 primatialem titulum libere potuit reassumere antistitesque Poloniae die 27 Augusti e. a. ad sancti Adalberti ecclesiam nostram matricem congregandos duxit, cui vocationi duce praecipuo gravissimae auctoritatis metropolita Leopoliensi b. m. Josepho Bilczewski gratuito animo responderunt³⁰⁸⁾.

Sicut autem cuncta natio Polonica modernum Eminentissimum Principem Archiepiscopum Gnesensem Cardinalem Augustum Hlond, quemadmodum antecessores eius, tamquam suum Primatem summa cum reverentia prosequitur, ita etiam, quod neminem latet, ipsum Reipublicae Poloniae regimen civile

³⁰⁶⁾ Ateneum Kaptańskie nr. 83/96, p. 127.

³⁰⁷⁾ Miesięcznik Kościelny XXX (1915), p. 93–96, subscriptis: Edmundus Dalbor, nom. archiep. Gnesn. et Posn., Josephus Bilczewski archiep. Leopol. r. l., Josephus Teodorowicz Leopol. r. arm., Alexander Kakowski Varsaviensis, Franciscus Albinus Symon tit. Attaliensis, Carolus Hryniewiecki tit. Pergensis archiepiscopi, Adam Stephanus Sapieha princeps ep. Cracoviensis, e. a.

³⁰⁸⁾ Przegląd Powszechny nr. 428–429, p. 193 sq.

primatiale eius praedecessorumque titulum et auctoritatem agnovit protinusque agnoscit, cuius rei, si plurima eius facti praetermittamus hodierna indicia, iam in constitutionibus Reipublicae utpote Ordinum „Aquilae Albae“ ac „Poloniae Restitutae“ de die 4 Februarii anni 1921 manifesta habita est ratio³⁰⁹).

Quodsi Gnesnensis ecclesia matrix totius Poloniae etiam inter infausta praeteritae captivitatis tempora primatiale suam praerogativam obtinuit, imprimis summae erga gentem nostram curae, iustitiae atque benevolentiae Summorum Pontificum est tribuendum, a quibus et ipsa sedes haec, aliquotiens iam labefactata, nihilominus servata est³¹⁰.

Ambitus vero competentiae primatialis, cui normae iuris communis generaliter non favent, iam stante antiquo Regno detrimentum quoddam passus constituto tribunali Nuntiaturae Apostolicae, diutina populi ecclesiaeque Poloniae disperitione ulterius diminutus est, quamquam propter violentam olim Reipublicae destructionem, quam Sedes Apostolica nunquam ratam habuit, nihil in praeiudicium ecclesiarum earumque iurium evenire potuisse tenendum est.

Stat tamen integer Archiepiscoporum Gnesnensium titulus dignitasque primatialis, tenore suo totam Poloniae ecclesiam complectens ac iure praecedentiae ad normam Canonum exornata.

Vigent inconcussa Primatis Poloniae privilegia honorifica deferendi ubique locorum vestimenta purpurea ad instar Cardinalium et gestandae crucis primatialis in universa Polona ditione.

³⁰⁹) Dziennik Ustaw R. P. 1921 nr. 24, poz. 136, art. 15, poz. 137, art. 17. — Cf. Urban S. J., O jedność Kościoła polskiego, Przegl. Powsz. nr. 394 (1916), p. 1—6.

³¹⁰) Similiter Sedes Apostolica anno 1891 Strigoniensis sedis cassationi resp. ad capitalem Hungariae civitatem Budensem translationi vacante ista ecclesia intentatae assensum suum, annuendo precibus capituli, denegavit (cf. Archivum Archidioec. Posn., Corresp. Card. Ledochowski: Litterae capituli Strigoniensis de d. 25. II. 1891 ad Card. Ledochowski cum annexis, typis editis, exemplaribus supplicationis ad Summum Pontificem et memorialis petitionis ad ministrum cultus publicaeque institutionis transmissarum).

Refulget denique pleno splendore illa altissima Primatis Poloniae auctoritas moralis, qua Antistites Gnesenses, captivitatis quoque tempore, totam Polonorum ecclesiam repraesentando curamque eius praecipuam gerendo fruebantur, merito atque sine ulla intermissione qua fidei centrum nationale celebrati necnon tot gestorum tantaeque traditionis legitimi in hodiernum diem successores.

Poznań

Josephus Nowacki

Professor Semin.